This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 06823155 8

(Mason)
Z

SELECTÆ E PATRIBUS

SEU

THEOLOGIÆ SUMMA

CLERICIS

HAUD INUTILE.

IN USUM

JUVENTUTIS ACADEMICÆ

AUCTORE HENRICO M MASON D D

Novi-Eboraci:
SUMPTIBUS STANFORD ET SWORDS.
1847.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
2
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
1901

ENTERED according to Act of Congress, in the year 1847,
BY STANFORD AND SWORDS,
in the Clerk's Office of the District Court for the Southern
District of New-York.

JOHN F. M'GOWN, PRINTER.

PREFATIO.

Ut rationem aliquam habeas, Christiane lector, hujus suscepti nostri, visum fuit tibi compendio tradere quo usi fuerimus consilio, cum hunc moliremur laborem. Lapsi sunt aliquot anni, ex quo, vel per aliorum sollicitationem vel per mentis meæ de hujusce-modi operis utilitate persuasionem, hæc excerpta e Patribus Latinis Ecclesiæ Christianæ meditabar. Linguam Latinam inter litterarum excultarum fautores locum habere unquam esse desituram non verisimile est. Natura tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus: ut sapor, quo nova imbuas, durat; nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Teneræne juvenum mentes facinoribus fœdis idolatrarum familiares reddantur, propterea quod hæc facinora in verbis politis vehuntur, dum interea nostræ fidei sanctissimæ veritates in verbis veritatis et sobrietatis traditæ obliviscantur aut nihili æstimentur? Anne trucidantium heroum factis bene sint docti, interea Deum Filium ob humani generis redemptionem sese humiliantem et morientem susque deque habentes vix in animos suos inducant? Absit!

DUP.EXCH. 27 MAR. 1901
DREW THEOL. SEM.

Causa itaque supplendi hiatum valde deplorandum in modo educationis usitato, excerpta hæc e Patribus Latinorum antiquissimis præparavi.

Veritates autem religionis Christianæ, si omnino exhibeantur in aliqua forma, exhibere necesse est forma, in qua fundamentalia, semper, ubique, ab omnibus, in orbe Christianorum ab initio agnita et recepta non negligentur. Hæc fundamentalia, semper ubique, ab omnibus recepta, non ita recepta fuissent, nisi in primis æræ Christianæ sæculis recepta, cujus receptionis scriptores quingentorum primorum annorum sunt fide digni testes. Hujusce testimonii locum nihil aliud supplebit. Eorum usui itaque, quibus Theologia cura sit, et quibus nihilominus ad Patres Latinos facilis aditus non sit, hoc compendium ipsissimis verbis horum Patrum, accommodatum est.

Symbolum Apostolorum et Articuli Ecclesiæ Anglicanæ, si mavis, Ecclesiæ Catholicæ in his fœderatis civitatibus Americæ Septentrionalis, selectionis fundamentum facta sunt. Rumpendi e contextu sensum verborum in ullius doctrinæ seu opinionis meæ adminiculum, non affinis culpæ inveniar. Irenæus, cujus opus Græce non extat, veluti doctrinis Christianis certissimus testis, inter Latinos concluditur. His e Patribus selectis, breves notitias, de eorum vitis affixi. Opus hujuscemodi ullum prius attentasse nescio. Appendix, Confessiones Sancti Augustini Episcopi

per me abbreviatas complectens adjungitur. Has Confessiones, pie lector, ne negligas, obsecro. Eas legisse non pœnitebit. Quod feci, in divinæ benedictionis spe, feci, in qua spe opusculum hoc meum sanctæ matri Ecclesiæ commendo et dico. Tu interim, quisquis es, veræ doctrinæ amator, feliciter vale, et istis meis lucubrationibus utere et fruere, ad tuum commodum atque Christi unici Redemptoris gloriam, quem ut conatibus meis benigniter adspiret, ardenter pro me ora.

H. M. M.

EASTONIÆ. *S. Johannis Ev. Feriis*, 1845.

NOTITIÆ PATRUM.

167. Sanctus Irenæus, Smyrna in Asia oriundus, sub Nerva imperatore, anno Christi XCVII. natus est. Adhuc juvenis Polycarpum beatum vidit, et audivit, et ejus sermones in mente reposuit. Romam, Aniceti temporibus, veniens, et inde in Gallias profectus, Lugduni lares fixit. Sancti Pothini illius civitatis Episcopi presbyter factus, tandem Irenæus, ipsi nonagenario martyrium pro Christo, anno CLXVII., subeunti, in episcopatum suffectus est. Ut melius provinciæ, quam nactus erat, saluti consuleret, nullis laboribus peperçit. Adversus hostes veritatis et unitatis, verbo et scriptis Ecclesiam munivit; in controversia Paschali componenda præsertim laboravit; eoque nomine Victorem pontificem Romanum ecclesiis Asiaticis anathema parantem, admonuit, et renitentem acriter objurgavit. Capite truncatus, ut fertur, Lugduni, circa annum CCII martyrii coronam sustulit. *Adversus hæreses* seu *de refutatione et eversione falsæ scientiæ*, libros quinque scripsit, in quibus de omnibus ad sua usque tempora hæresiarchis agit, impiasque eorum objectiones refellit. Deperditis Græcis—nec enim refutari merentur qui Irenæum Latine scripsisse volunt—extat horum librorum Latina versio vetustissima sed inelegans et salebrosa. Aliorum operum tantum fragmenta ad nos pervenerunt.

192. Q. Septimius Florens Tertullianus, Carthaginensis, centurionis proconsularis filius, ethnicus olim, causarum patronus, normam veritatis Christianæ, circiter annum CLXXXV., amplexus est. Vir fuit ingenii vehementis, et in omni disciplinarum genere eruditissimus. Septimo post conversionem anno, presbyter factus, nimiam morum asperitatem induxit. Quum hoc nomine primo suspicionis occasionem præbuisset, tandem Montanistarum cœtui palam se adjunxit, et infelix sectam viriliter propugnavit; editis quam plurimis libris, in quibus disciplinæ suæ rigorem a contemptu vindicavit, aliisque, in quibus in Ecclesiam Catholicam, sub nomi-

ne Psychicorum, invectus est. Obiit decrepita jam ætate, fortasse anno salutis CCXX., ob ingenium, inter alias hac Vincentii laude ornatus, "Jam porro orationis suæ laudes quis exequi valeat, quæ tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat, cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt, quot sensus tot victoriæ." De tempore atque ordine, quo in scriptis exarandis usus est Tertullianus, litem haud exiguam movent eruditi. De hac re tamen, varias componere lites, nec locus nec spatium hic est.

220. M. MINUTIUS FELIX, ut verisimile est, Afer, inter causidicos Romanos haud ignobilis, doctrina tamen ac pietate longe nobilior, paulo antiquior Cypriano, ut videtur, circa annum CCXX., scripsit et floruit. Insignem pro religione Christiana *Apologiam*, forma Dialogi composuit; in quo Cæcilianum ethnicum confudit Octavius Christianus. Inter hos intermedius sedet bonus arbiter Minutius Felix. Libri argumento, Gentilium cultus Deorumque prosopia non minus erudite quam venuste convelluntur et Christiani eorumque sacra eleganter et nervose vindicantur.

250. THASCIUS CÆCILIUS CYPRIANUS, Carthaginensis, arte rhetorica clarus, opibus et honoribus fulgens, presbytero Cæcilio suadente (cujus proinde nomen sibi postea assumpsit) a sæculari errore et castris ethnicis circa annum 246 ad fidem Christi transiit. Neophytus factus bona vendidit, et in pauperum usus erogavit. Exeunte anno 247 ad ordinem presbyteratus, et anno insequente, quamvis humiliter renitens ad summum sacerdotii promovetur. Persecutio Deciana fremit. Sæpius ad leones petitus, et sub hac formula proscriptus, "Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani Episcopi Christianorum," tandem secessum quæsivit. In secessu, ecclesiæ suæ multa utilia laboravit. Latebris egressus, anno 251, in causa lapsorum synodos habuit. In his synodis statutum est, in persecutione nuperrima lapsis pœnitentiam diu protrahendam, non tamen spem pacis omnino denegandam. Grassante peste simul ac fame, Cyprianus, sermone, voce, opere, suis prospexit. Aliis synodis, Carthagine congregatis, hæreticorum baptismum invalidum et plane nullum esse statuitur. Stephanus Episcopus Romanus his decretis strenue restitit; et etiam Cypriano aliisque episcopis consentientibus excommunicationem minatus est. Commovetur Cyprianum et coepiscopos cum eo concordantes nec

auctoritate, nec minis, Stephanus prævaluit. "Ille," ait Firmilianus, ad episcopum Carthaginensem de Stephano scribens, "est vere schismaticus, qui se a communione ecclesiasticæ unitatis Apostatam fecerit." Anno 257, persecutionem in Christianos, Valerianus Imperator movet. Cyprianus in exilium mittitur. Ibi, divina visione, de martyrio futuro admonitus, et ab exilio retractus, anno 258, capitis damnatur; Proconsule decretum ex tabella recitante: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.* In hoc modo, a morte in vitam Divus Cyprianus transiit, ecclesiasticæ disciplinæ et dignitatis episcopalis vindex acerrimus, et nulli secundum nomen relinquens. Vir fuit plane θαυμάσιος, artibus bonis apprime imbutus, in sacris theologicis acutissimus. "Erat enim" ait Lactantius, "ingenio facili, copioso, suavi et aperto: ut discernere nequeo utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit."

303. Arnobius, gente Afer, arte rhetor, religione olim Gentilis, anno CCII. floruit. Ut Christi fidem amplecteretur, somniis admonitus, baptismum ab Episcopo impetrare non potuit, donec edito *adversus Gentiles* libro veluti certissimo pignore fidei suæ sinceritatem testatus sit. De obitu ejus nihil constat. Dogmata quædam habet forsan minus Catholica, homini e Gentilium tenebris recens erumpenti condonanda. Stylus ejus florentissimus, et methodus concinna et bene ordinata.

303. L. Cœlius Lactantius Firmianus, anno CCIII. præcipue clarens, Italiam patriam, Arnobium magistrum habuit. Sub Diocletiano Imperatore, Nicomediæ rhetoricam docuit, sed discipulorum penuria, quod Græca nimirum civitas esset, ad scribendum se contulit, et inter alia, contra Christiani nominis inimicos, præsertim Hieroclem persecutionis Diocletianæ auctorem, omnibus eloquentiæ nervis fortiter militavit. In extrema senectute Crispi Cæsaris filii Constantini præceptor fuit. Pauperrimus vixit et obiit. Inter opera ejus potissima sunt, *Divinarum Institutionum* libri septem, et libellus *de mortibus persecutorum*, mole exiguus, pretio inestimabilis. Nævi in Scriptis ejus notantur, qui homini eo tinnis contra Gentiles certaminibus occupato, et hoc nostrum a penitiore doctrinæ Christianæ examine revocato, facile [illegible] buntur. Scriptor est mire elegans et disertus, omnium [illegible] norum plane facundissimus. A pluribus nomen *Cicero Christi-*

anus recepit et meruit, nec desunt, qui eum illi oratorum Romanorum principi non æquasse modo sed et præcelluisse velint.

354. HILARIUS, origine Gallus, patria Pictaviensis, parentibus honestis enatus, bonisque artibus enutritus, a superstitionibus ethnicis in Christi hospitium profugus, circiter annum 355 civitatis suæ Episcopus creatus est. Arianæ hæreseos hostis acerrimus, fidei Catholicæ causa, persecutionem passus est. E Synodo Bitterenensi, anno CCCLVI., factione Saturnini Arelatensis Præsulis Ariani, in Phrygiam amandatus exul et aliis laboribus solutus, scriptis elucubrandis, præcipue libro *de Trinitate* animum adjecit. Laboribus, disputationibus, scriptis, contra Arianam aliasque hæreses, fidei Catholicæ strenuus defensor, Hilarius, an. CCCLXVIII, apud sedem episcopalem Pictaviensem, animam Deo pie reddidit. Vir non modo in Latinorum verum et Græcorum literatura diu versatus. "Stylus illi, ex gentis suæ more, turgidus et sublimis; dictio grandis nimium et operosa, Gallicano cothurno attollitur;" inquit Hieronymus, qui eum *eloquentiæ Rhodanum*, appellat, fluminum omnium in Gallia rapidissimum. Nonnullos in Sancti Hilarii libris, nævos critici adnotarunt: sed quorum nullus impediat quin pede inoffenso percurrantur; quia vel Fidei summam non spectant illa in quibus lapsus est; vel ab iis revera fuit alienus erroribus, quos ejus testimonia verbis tenus adstruere videntur.

374. AMBROSIUS, origine Romanus, ortu Gallus, familia illustri, an. CCCXXIII., natus est. In cunis adhuc vagientis et dormientis pueri subito insedit ori, examen apum, eloquentiæ futuræ, patri tunc temporis juxta ambulanti omen. Omni sæcularium litterarum genere perpolitus et Æmiliæ consul factus, Mediolani lares fixit. Illic, de episcopi electione Catholicis et Arianis contendentibus Ambrosius pacis publicæ conservatorem se interponit. Subito vox quasi infantis in populo auditur, *Ambrosium Episcopum*. Vocem populus et Episcopi adstantes approbarunt. Ambrosius frustra resistens, primo baptizatus (erat enim adhuc Catechumenus) sacro muneri initiatur. Episcopus factus, bona in pauperum usum erogavit. Intrepido in munere pastorali animo, et fortitudine invicta, tum in fide propaganda, cum in disciplina, se ostendit; Fide, adversus Arianos et Justinam Imperatricem ipsis faventem: Disciplina, in causa Maximi Tyranni, quem ob illatam Gratiano Imperatori necem a communionis consortio segregavit; et in causa

etiam Theodosii quem ob cædem Thessalonicensem truculentam pœnitentiæ addixit publicæ. Gloriosis pro Ecclesia Dei laboribus perfunctis præclarisque libris conscriptis, obiit, Anno Christi 397, Ætatis 64, episcopatus 22. Vir summa pietate et doctrina venerabilis, stylo conciso, tessellato, et Senecæ facundiam imitanti. Hymnus *Te Deum* magnificus, e cœlo, ut fertur, delapsus et inter baptizandum Augustinum ab Ambrosio et Augustino alternis versiculis recitatus nostro auctori tribuitur.

378. HIERONYMUS, Stridone in Dalmatiæ confinio, patre Eusebio homine Christiano natus est circiter annum 329. Romam adhuc puer veniens, Donatum grammaticum, Victorinum eloquentiæ professorem, Bar-hannina linguæ Hebraicæ doctorem, Gregorium et Paulinum aliosque in sacris litteris eminentes, audiit præceptoresque nactus est. Adulta jam ætate baptizatus multis peragratis regionibus, amicitiaque cum Ruffino Aquileiensi contracta, in Syriæ eremo vitam egit monasticam. Anno 378, a Paulino Antiochiæ Epicopo, presbyter inauguratus est. Romam reversus, Damaso episcopo Romano, in scribendis epistolis et in negotiis ecclesiasticis operam commodavit. Cujus post obitum Roma discedens, et iade in Syriam, anno 385, navigans, Hierosolymam intravit. Ægypti monasteria, anno sequente lustravit. Inter hæc Origenismi nimium ardorem deprehendens Bethlehem tandem secessit. Ibi consenuit monasterio, studia diligenter urgens, scripta innumera conficiens, et plurimos juvenes bonis litteris instituens, versionis sanctarum Scripturarum in linguam Latinam auctor, hæreticorum verberator, fidei Catholicæ strenuus propugnatur, anno 420 Christi, Ætatis 91, ad vitam immortalem, famæ ac dierum satur, migravit. Scriptorum Christianorum, qui latine scripserunt, fortasse doctissimus certe facundissimus, Hieronimus pervervidi erat animi affectibus suis nimie indulgentis. Semel lacessitus adversarios asperrime tractavit. Testes sunt inimicitiæ, quas cum Ruffino olim sibi necessario aliisque habuit. In laudibus styli ejus elegantissimi omnes uniuntur. "Ego certe," inquit Erasmus quo nemo judex melior, "nisi me sanctissimi viri fallit amor, cum Hieronymianam orationem cum Ciceroniana confero, videor mihi nescio quid in ipso eloquentiæ principe desiderare. Tanta in hoc nostro varietas, tantum sententiarum pondus, tanta enthymematum volubilitas."

390. RUFFINUS, Aquileiensis ecclesiæ presbyter fuit. Ante annum CCCLX., summam cum Hieronymo, Aquileiæ commorante, amicitiam contraxit. Monasticam ingressus vitam, Originis fautoribus se adjunxit. Ob hanc causam, et Pelagianismi suspicionem, nomen suum minus illustre reddidit, et Hieronymi amicitiam amisit. De dissidiis inter hos celeberrimos exortis vehementer dolere se significavit Sanctus Augustinus. "Multum," inquit, doluí inter tam charas familiaresque personas cunctis pene ecclesiis notissimo amicitiæ vinculo copulatas, tantum malum extitisse discordiæ." An meruerit Ruffinus omnia quæ in ipsum ab adversario evomuntur convitia, perpendent æqui rerum æstimatores. Interim haud inficias eo quin ejus auctoritas plurimi facienda sit in his capitibus, in quibus a Sancto Hieronymo reprehensus non est, et aliis Patres consentientes habet.

396. AURELIUS AUGUSTINUS, Tagaste, in Numidia, anno 355, patre Patricio, matre Monica, utrisque Christianis, matre vero ob pietatem celeberrima, gavisus est. Bonis litteris enutritus, Grammaticam Carthagine adhuc adolescens docuit, et Romam profectus ibi plures discipulos instituit. A Symmacho Romæ præfecto, Mediolanum Rhetoricæ magister missus, Ambrosio concionanti auscultavit et ab erroribus Manichæorum, quorum virus imbiberat, revocari cœpit. Interea Monica, de filio solicita, urbem venit, et jam verum esse experta est quod Episcopus quidam ei ob Augustini a veritate defectionem gementi, dixerat, *vade a me, ita vivas; fieri enim non potest, ut filius istarum lachrymarum pereat.* Amplectens igitur Augustinus pietatem Christianam, exactisque inter Catechumenos biennio, anno 378, ab Ambrosio baptizatus est. Hipponem profectum incolæ civitatis reluctantem licet et lachrymantem ad Valerium Episcopum trahunt et ab eo Presbyterum ordinari curant. In hoc gradu hæreticorum debellatorem strenuum se comprobavit, adeoque apud omnes inclaruit ut Valerius sibi adhuc viventi coepiscopum, primatibus Africæ non reclamantibus, optaret et obtineret. Episcopus factus Ecclesiæ tuendæ scriptis et labioribus acrius incubuit; cum magna laude ingenii ac pietatis Donatistas in synodis habitis confutans, Felicem Manichæum ad mentem sanam reducens, Arianos, Circumcelliones, Pelagianos aliosque veritatis inimicos confundens. Vandalis demum Africam cæde et incendio ubique vastantibus, et Hippo-

nem obsidione jam prementibus, febri correptus decubuit ac in pace obdormivit anno Christi 430, Ætatis suæ 76, episcopatus gesti 35. Pius, modestus, pudicus, mitis, in concionando frequens, in scribendo indefessus, pauperum studiosus, ingenii felicitate incomparabilis, nulli in Ecclesia Catholica inferius nomen reliquit. Habet Augustinus—ut Erasmi verbis utar—suum quoddam dicendi genus, argutum et periodis in longum productis multa convolvens, quod lectorem et familiarem, et acutum, et attentum, et bene memorem requirit; denique tædii laborisque patientem, quales non ita multos reperias. Hanc legem suæ mensæ inscribendam curavit.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi

SELECTÆ E PATRIBUS.

DE DEO DEIQUE PROPRIETATIBUS.

Unitas Dei.

VERITAS Christiana distincté pronunciavit: Deus, si non unus est, non est: quid dignius credimus non ita fuerit ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, et non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod et omnium conscientia agnoscit: Deum summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe ut nihil isti adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum; quia si fuerit, adæquabitur; et si adæquabitur, non erit jam summum magnum. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum. Certe quemcumque alium Deum induxeris, non aliâ poteris eum formâ tuéri Deum, quam ut et illi proprium divinitatis ascripseris, sicut æternum, ita et summum magnum. Duo ergo summa magna quomodo consistent, quum hoc sit summum magnum par non habere? Par autem non habere cum uni competat in duobus esse nullo modo possit? Jam nunc duo summa magna, duo paria cui operæ pretio, qui emolu-

mento deputarentur? quid interfuit numeri, quum duo paria non differant uno? Una enim res est quæ eadem in duobus est. Etiam si plura essent paria, tantumdem omnia unum fuissent, nullo inter se differendo, quâ paria. Porro si neutrum ex duobus altero distat, jam ut ambo summa magna, qua Dei ambo, neutrum alterum altero præstat nullam rationem numeri sui ostendens, præstantiam non habentes. Numerus autem divinitatis, summa ratione constare deberet.*

Nec hoc tantum de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus: multo magis mundi unus est rector, qui universa, quæcunque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, censu major est; et ideo sic eum Deum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Quid Mantuanus Maro? Nonne apertius, proximius, verius: principio, ait, cœlum et terras, et cætera mundi membra, spiritus intus alit, et infusa mens agitat? Inde hominum pecudumque genus, et quicquid aliud animalium. Idem alio loco, mentem istam, et spiritum Deum nominat; hæc enim vera sunt. Deum namque ire per omnes terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum. Unde homines et pecudes, unde imber et ignes.†

Quis dubitet potentissimum esse regem, qui totius orbis habeat imperium? Neque immerito: cum illius sint, quæ ubique sunt omnia? cum ad eum solum omnes undique copiæ congerantur. At si plures

* Tert. adv. Marcion. lib. 1, c. 3.
† Minutius Felix in Oct.

partiantur orbem: minus certe opum, minus virium singuli habebunt, cum intra præscriptam portionem se quisque contineat. Eodem etiam modo Dii, si plures sint, minus valebunt, aliis tantumdem in se habentibus. Virtutis autem perfecta natura non potest esse nisi in eo, in quo totum est; non pars exigua de toto est. Deus vero, si perfectus est (nam perfectus est ut esse debet, non potest esse, nisi unus ut in eo sint omnia. Sit igitur nostri operis exordium, quæstio illa consequens, ac secunda: utrum potestate unius Dei mundus regatur, anne multorum? Nemo est quidem, qui sapiat, rationemque secum putet, qui non unum esse intelligat, qui et condiderit omnia, et eadem, qua condidit, virtute moderetur. Quid enim multis opus est ad mundi regimen sustinendum? Nisi forte arbitremur, si plures sint, minus habere singulos nervorum atque virium. Quod quidem faciunt ii, qui esse multos volunt: quia necesse est, imbecilles esse, siquidem singuli sine auxilio reliquorum tantæ molis gubernaculum sustinere non possunt. Deus autem qui est æterna mens, ex omni utique parte perfectæ consummatæque virtutis est. Quod si verum est, unus sit, necesse est. Veniamus ad auctores, et eos ipsos ad veri probationem testes citemus, quibus contra nos uti solent; poetas dico ac philosophos. Ex his unum Deum probemus, necesse est: non quod illi habuerint cognitam veritatem, sed quod veritatis ipsius tanta vis est, ut nemo, possit esse tam cæcus, qui non videat ingerentem se oculis divinam claritatem. Poetæ igitur, quamvis Deos carminibus ornaverint, et eorum res gestas amplificaverint summis laudibus, sæpissime tamen confitentur, spiritu vel mente una contineri regique omnia.

Nam et cum jurant, et cum optant, et cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant, adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit, quòd quidem non faciunt in prosperis rebus. Nam tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis ejus fruentes honorem dare divinæ indulgentiæ deberent. At vero si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando incubuerit, ad Deum confugiunt; a Deo petitur auxilium: Deus ut subveniat oratur. Si quis in mari vento sæviente jactatur, hunc invocat. Si quis aliqua vi afflictatur, hunc protinus implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, et per ejus divinum, atque unicum numen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi cum in malis sunt.*

Sempiternus.

Non habet tempus æternitas. Omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret ætate, quod non licet nasci. Deus si est vetus, non erit: si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio, et fine est, quam a tempore, arbitro et metatore initii et finis—Quis enim alius Dei census quam æternitas? quis alius æternitatis census, quam

* Lactan. Inst., lib. I, c. 3. Deut. iv., 39; Ps. xlv., 5; Cor. viii., 4; Thess. i., 9.

semper fuisse, et futurum esse, ex prærogativa nullius initii et nullius finis! Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit, cujus est proprium. Omnia in Deo naturalia, et ingenita esse debebunt, ut sint æterna secundum statum ipsius, ne obvenientia, et extranea reputentur, ac per hoc temporalia, et æternitatis aliena. Nam et divinitati competit, quæcumque decreverit ut perfecta reputare, quia non sit apud illam differentia temporis, apud quam uniformem statum temporum dirigit æternitas ipsa.*

Deus solus est immutabilis, quia nihil præteriti ei accedit, nihil futuri accedit, sed quicquid est vel fuit vel erit, totum sibi semper præsens adest: et sicut non potest cogitari quod aliquando initium habuerit, ita quoque non potest cogitari quod unquam finiri possit. Non invenis in Deo aliquid mutabilitatis; non aliquid, quod aliter nunc est, aliter paullo ante fuerit. Nam ubi invenitur aliter, et aliter, facta est ibi quædam mors. Mors enim est non esse quod fuit. Immortalis dicitur anima. Est quidem, quia vivit semper anima, et est in illa quædam vita permanens, sed mutabilis vita. Secundum mutabilitatem vitæ hujus et mortalis dici potest. Quid est ergo quod ait Apostolus de Deo: Qui solus habet immortalitatem: nisi quia hoc aperte dixit, solus habet incommutabilitatem; quia solus habet veram æternitatem? Si autem ante cœlum et terram nullum erat tempus, cur quæritur quid tunc O Deus faciebas? Non enim erat tunc, ubi non erat tempus. Nec tu tempore tempora præcedis, alioquin non omnia tempora præcederes. Sed præcedis omnia præterita

* Tert. lib. 1, c. 8.

celsitudine semper præsentis æternitatis; et superas omnia futura, quia illa futura sunt, et cum venerint, præterita erunt. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficiunt. Anni tui nec eunt nec veniunt. Anni tui dies unus; et dies tuus, non quotidiè, sed hodie: quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque enim succedit hesterno: hodiernus tuus æternitas; ideo coæternum genuisti cui dixisti, Ego hodie genui te.*

Incorporeus, Omnisciens, Omnipotens, Optimus.

Sunt enim quidam, qui Deum ipsum omnino corpus esse præsumunt, putantes quicquid corpus non est, nullam prorsus esse substantiam: istos omni modo aversandos censeo. Porro si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est? Ut sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem.†

Male Deum norunt, qui non putant illum posse quod non putant. Nihil Deo difficile. Quis hoc nesciat? Et impossibilia apud sæculum, possibilia apud Deum quis ignoret? Et stulta mundi elegit Deus ut confundat sapientiam. Planè nihil Deo difficile, Sed si tam abrupte in præsumptionibus nostris hac senten-

* August. De Cog. veræ vitæ, c. 31, Conf., lib. 11, c. 13. Exod. iii. 14; Ps. xc. 2, xli. 13; 1 Tim. i. 17; Rev. i. 48.

† Aug. Or con. Gen. tom i., p. 27. Ep 147, ad Paul. c. 21, civ. Dei. l. 8. c. 5. de Trin., lib. 1. c. 1.

tia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideo utique credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit, sed an fecerit requirendum. Hac ratione erit aliquid et difficile Deo; id scilicet quodcunque non fecerit: non quia non potuerit, sed quia noluerit. Dei enim posse, velle est; et non posse, nolle; quod autem voluit, et potuit et ostendit.*

Omnipotens manus tua, semper una et eadem, creavit in cœlo angelos, in terra vermiculos: non superior in illis, non inferior in istis. Sicut enim nulla manus angelum, ita nulla posset creare vermiculum: sicut nulla cœlum, ita nulla posset creare minimum arboris folium: sicut nulla corpus, ita nulla "unum capillum album posset facere aut nigrum;" sed omnipotens manus tua, cui omnia pari modo sunt possibilia. Nec enim possibilius est creare vermiculum, quam angelum; nec impossibilius extendere cælum, quam folium; nec levius formare capillum, quam corpus; nec difficilius fundare terram super aquas, quam aquas fundare super terram: sed omnia quæcunque voluit fecit, in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, et me inter omnia sicut voluit, potuit et scivit.†

Apud Deum autem nihil deest: nec præteritum igitur nec futurum, sed omne præsens est apud Deum qui non singula cogitando adspicit, sed una æterna et immutabili atque ineffabili visione complectitur cuncta quæ novit. Cæterum dictus est in Scripturis sanctis

* Tert. de resur. adv. Prax., c. 10, 100.
† Aug. Solil. animæ., c. 9, p. 89.

spiritus sapientiæ multiplex, eo quod multa in se habeat; sed quæ habet, hæc et est, et ea omnia unus est. Neque enim multæ, sed una sapientia est, in qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium quæ per ipsam factæ sunt. Quare si infinitas numerorum scientiæ Dei, quâ comprehenditur, esse non potest infinita; qui tandem nos sumus homunculi, qui ejus scientiæ limites figere præsumamus, dicentes, quod nisi eisdem circumitibus temporum eadem temporalia repetantur non potest Deus cuncta quæ fecit vel præscire ut faciat, vel scire cum fecerit? Cujus sapientia simpliciter multiplex et uniformiter multiformis; tam incomprehensibili comprehensione omnia incomprehensibilia comprehendit.*

Nullum a nobis nisi innocentiæ, et religionis, et fidei obsequium Deus postulat. Amari se a nobis exigit: non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiens, sed amore ipso nobis potius, qui eum amabimus, profuturo. Nam amari se, sibique nos obsequi idcirco, ut nobis bene sit, expetit, ut digni beatitudinis suæ, ac bonitatis suæ munere per meritum amoris sui, et obsequii judicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non præbenti proficit, sed utenti. Quod ergo sumus, profectus noster est potius, quam ejus, qui nos in id quod sumus, instituit; quia Deus bonorum eorum, quæ in se sunt æterna, non invidens, in sensum nos, atque umbram beatæ suæ bonitatis assumit. Sed qui

* Aug. de diver. Quæs. q. 17, de Trin., lib. 15, c. 7, et 11, c. 10.

perfectus ac bonus est, bonitate in nos, ac beatitudine sua non sine ratione, ac modo usus est.*

Creator et Conservator.

Quod colimus nos, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ. Regula exigit veritatis, ut primo omnium credamus in Deum patrem et Dominum omnipotentem, id est rerum omnium perfectissimum Conditorem. Sicut Creator, ex hoc et Deus, et indubitatus Deus, quia omnia ipsius, et nihil extraneum illi: ita et alius idcirco non Deus, quia omnia non ejus, ideoque et extranea. Denique si universitas Creatoris est, jam nec locum video Deialterius. Plena et occupata sunt omnia suo Auctore. Si vacat aliquid spatii alicujus divinitati in creaturis, plane falsæ vacabit. Nullam autem Apostolici census Ecclesiam invenias, quæ non in Creatore christianizet.†

An ulla est religio verior, officiosior, potentior, justior, quam Deum principem nosse, scire Deo principi supplicare, qui bonorum omnium solus caput et fons est, perpetuarum pariter Fundator et conditor rerum, a quo omnia terrena cunctaque cœlestia ani-

* Hilar. ad Ps. ii. in Deut. 10. Isai. xl. 18; Joh. iv. 24; Num. xxiii. 19; Ps. cii. 26, 27; Acts xiv. 14, 15; Ps. oxlvii. 5; Heb. iv. 13; 1 Jh. iii. 20; Gen. xxxiv. 11; Mat. xix. 26; Ps. cxlv. 9; Luke xviii. 19.

† Tert. Apol c. 17, et [al. Novat.] de Trin. init. et adv. Mar. lib. 1, c. 11.

mentur, motu irriganturque vitali, et qui si non esset, nulla profecto res esset, quæ aliquod nomen substantiamque portaret.*

Creatoris, namque potentia, et omnipotentis, atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ; quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim, sicut structuram ædium cum fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante, atque abscedente stat opus ejus: ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Scriptum est de sapientia ejus, Pertingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter; de qua item scriptum, quod motus ejus agilior, celeriorque sit omnibus motibus, satis apparet recte intuentibus, hunc ipsum incomparabilem, et ineffabilem, et si posset intelligi, stabilem motum suum rebus eum præbere suaviter disponendis quo utique subtracto, si ab hac operatione cessaverit, eas continuo perituras.†

DE TRINITATE SANCTO.

Si te adhuc numerus scandalizat Trinitatis, quasi non connexa in unitate simplici, interrogo quomodo unus et singularis loquitur? *Faciamus* hominem ad imaginem et similitudinem *nostram;* cum debuerit dixisse, *Faciam* hominem ad imaginem et similitudinem *meam;* utpote unicus singularis. Sed et in sequentibus, Ecce Adam factus est tanquam unus ex

* Arnob. disp. lib. 2.

† Aug. de Gent., lib. 4. Ps. civ. 24, 30; Mat. x. 29, 30; 1 Tim. vi. 17; Heb. I, 3.

nobis. Fallit aut ludit, ut cum unus, et solus, et singularis esset, numerosè loqueretur: aut nunquid angelis loquebatur, ut Judæi interpretantur: quia nec ipsi Filium agnoscunt; an quia ipse erat Pater, Filius, Spiritus, ideo pluralem se præstans, pluraliter sibi loquebatur? Immo quia jam adhærebat ei Filius, secunda persona, Sermo ipsius; et tertia Spiritus in Sermone, ideo pluraliter pronuntiavit, *Faciamus*, et *Nostrum*, et *Nobis*. Cum quibus enim faciebat similem? Cum Filio quidem qui erat induturus hominem; Spiritu vero qui erat sanctificaturus hominem, quasi cum ministris et arbitris, ex unitate Trinitatis loquebatur. Heretici numerum et dispositionem Trinitatis divisionem præsumant unitatis; quando unitas ex semetipsa derivans Trinitatem, non destruatur ab illa sed administretur. Itaque duos, et tres jam jactitant a nobis prædicari; se vero unius Dei cultores præsumunt, quasi non et unitas irrationabiliter collecta hæresim faciat, et Trinitas rationabiliter expensa veritatem constituat. Ecce dico, alium esse Patrem, et alium Filium, et alium Spiritum. Male accipit idiotes quisque, aut perversus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, et ex diversitate separationem protendat, Patris, et Filii, et Spiritus. Connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero. Qui tres unum sunt, non unus; quomodo dictum est, Ego et Pater unum sumus; ad substantiæ veritatem, non ad numeri singularitatem. Judaicæ fidei ista res, sic unum Deum credere, ut Filium adnumerare ei nolis, et post Filium, Spiritum. Quid erit enim inter nos et illos, nisi differentia ista? Quod opus Evangelii, quæ est substantia Novi Testamenti, statuens legem

et prophetas usque ad Joannem, si non exinde Pater, Filius, et Spiritus tres crediti unum Deum sistunt?*

Dominus enim post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent, instituit et docuit, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; Ite ergo et docete gentes omnes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Insinuat Trinitatem, cujus sacramento gentes baptizarentur. Ipse Christus gentes baptizari jubet in plena et adunata Trinitate. Nunquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Nunquid eundem asserit, quem et nos Patrem creatorem. Nunquid eundem unum Filium Christum, de Maria Virgine natum, qui Sermo caro factus sit, qui peccata nostra portaverit, qui mortem moriendo vicerit, qui resurrectionem carnis per semetipsum primus initiaverit, et discipulis suis quod in eadem carne resurrexisset ostenderit.†

Ecce apparet mihi in ænigmate Trinitas quod es Deus meus, quoniam tu Pater *in Principio* sapientiæ nostræ quod est tua Sapientia de te nata, æqualis tibi et cœterna, id est in Filio tuo *fecisti cœlum et terram.* Et multa diximus de cœlo cœli et de terra invisibili et incomposita, et de abysso tenebrosa. Et tenebam jam Patrem in Dei nomine qui fecit hæc, et Filium in *Principii* nomine, in quo fecit hæc: et Trinitatem credens Deum meum sicuti credebam, quærebam in eloquiis sanctis ejus, et ecce Spiritus tuus superferebatur super aquas. Ecce Trinitas Deus meus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus creator universæ creaturæ. Ecce columba descendit super Dominum baptizatum;

* Tert. adv. Prax. c. 12. 3. 9. † Cyp. ep. ad Jub. 73.

et apparuit ibi Sancta et vera Trinitas, quæ nobis unus Deus est. "Adscendit enim Dominus ab aqua," sicut in Evangelio legimus, "et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum descendentem velut columbam, et mansit super eum: et statim vox consecuta est, Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui? Apparet manifestissima Trinitas, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba. Plane ergo et absque omni dubitatione credendum est Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum unum esse Deum omnipotentem, æternum, incommutabilem: et singulus horum Deus, et simul omnes unus; et singulus quisque horum plena, et perfecta æterna substantia, et simul omnes una substantia; quia quicquid est Pater quo Deus est, quo substantia, quo æternitas est, hoc Filius, hoc Spiritus Sanctus. Ita etiam quicquid est Filius in eo quod Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc Pater, hoc Spiritus Sanctus est. Et quicquid Spiritus Sanctus in eo quod Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc Pater est et Filius. Una ergo in tribus Divinitas, una essentia, una omnipotentia, et quicquid substantialiter potest dici de Deo.*

DE DEO FILIO.

De coëterna cum Patre Suo Existentia.

Si quis itaque nobis dixerit, quomodo ergo Filius prolatus a Patre est, dicimus ei, quia prolationem istam, sive generationem, aut quomodo libet quis nomine vocaverit generationem ejus inerrabilem existen

* Aug. Conf. 13, 5, in Joh. tr. 6, De diver. Serm. 30. Gen. i. 26; 2 Sam. xxiii. 2; Ps. xxxiii. 6; Mat. iii. 16, 17; xxviii. 19; Luke i. 35; 2 Cor. xiii. 14; Gal. iv. 6; 1 Jh. v. 7.

tem, nemo novit; non hæretici omnes, neque angeli, neque archangeli, nec principes, neque potestates, nisi solus qui generavit, Pater, et qui natus est, Filius. Prophetà quidam ait de eo, Generationem ejus quis enarrabit? Ostenso manifesto, quòd in principio Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano, hunc in novissimis temporibus secundum præfinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati passibilem hominem factum; exclusa est omnis contradictio dicentium, Si ergo natus est, non erat ante Christus. Ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei, existens semper apud Patrem. Semper coëxistens Filius Patri.*

Ante omnia enim, Deus erat solus, ipse sibi et mundus, et locus, et omnia; solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterùm ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. Hanc Græci λογον [verbum] dicunt; quo vocabulo etiam Sermonem apellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum, per simplicitatem interpretationis, sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse. Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut æternum. Deus neque desinit esse, neque aliud potest esse. Sermo autem Deus.†

Ergone, inquiet aliquis furens, iratus et percitus, Deus ille est Christus? Deus respondebimus, et interiorum potentiarum Deus: Nihil magicum, nihil

* Iren. lib. 3, c. 20, 21; lib. 2, c. 55.

† Tertul. adv. Prax., c. 5, 27.

humanum, præstigiosum aut subdolum, nihil fraudis delituit in Christo, derideatis licèt ex more atque in lasciviam dissolvamini cachinnorum. Deus ille sublimis fuit, Deus radice ab intimâ, Deus ab incognitis regnis, et ab omnium Principe Deus sospitator est missus: quem neque Sol ipse, neque ulla, si sentiant sidera, non rectores, non principes mundi, non denique Dii magni, aut qui fingentes se Deos, genus omne mortalium territant, unde aut qui fuerit, potuerunt, noscere vel suspicari. Deus enim ab altero, in eo quod Deus est, nulla in re differt; nec quod unum est genere, suis esse in partibus minus aut plus potest, qualitatis propriæ uniformitate servata.*

Hic ergo ingenitus, ante omne tempus, ex se Filium genuit, non ex aliquo subjacente materia, quia per Filium omnia; non ex nihilo, quia ex se Filium; non ut partum, quia nihil in Deo demutabile aut vacuum est; non partem sui, vel divisam, vel descissam, vel extensam, quia et impassibilis et incorporeus Deus est. Hæc autem passionis et carnis sunt, et secundum Apostolum, "in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter," sed incomprehensibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus et sæcula, unigenitum ex his quæ ingenita in se erant procreavit, omne quod Deus est, per charitatem atque virtutem nativitati ejus impartiens, ac sit ab ingenito, perfecto, æternoque Patre, unigenitus, et perfectus, et æternus Filius.†

* Arnob. adv. Gent. lib. 1, 7.

† Hil. de Trin. lib. 3. Isai. xliv. 6; Prov. viii. 22—25; Jh. i. 1; v. 26; Heb. i. 5—11; Rev. xxii. 13.

Patri Consubstantialis.

Hæc erit, probola veritatis, custos veritatis, quâ prolatum dicimus Filium a Patre, non separatum. Protulit enim Deus sermonem, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium. Nam et istæ species probolæ sunt earum substantiarum ex quibus prodeunt. Apostolum sequor, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem appellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: "Ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in ævum omne." Filium non aliundè deduco, quàm de substantia Patris. Ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus.*

Indulgentiæ igitur hujus et gratiæ arbiter et magister Sermo et Filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes illuminator et doctor humani generis prædicabatur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus et gloria, hic in virginem illabitur, carnem Spiritu Sancto cooperante induitur. Deus cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est. De Patre, Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: "Hi tres unum sunt," non unus. Ipse Christus gentes baptizari jubeat in plenâ et adunatâ Trinitate.†

De mortalitate jam diximus; nunc de unitate doceamus. Cum dicimus Deum Patrem et Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus; quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre

* Tert. adv. Prax. l. 1. c. 8. 13. 4.
† Cyp. de Van. Id. et ad Jub.

secerni: siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem; una utrique mens, unus Spiritus, una substantia est; sed ille quasi exuberans fons, hic tanquam defluens ex eo rivus: ille tanquam Sol, hic quasi radius a Sole porrectus: qui quoniam summo Patri et fidelis et charus est, non separatur, sicut nec rivus a fonte, nec radius a Sole. Quapropter, cùm mens et voluntas alterius in altero sit, vel potius una in utroque; merito unus Deus uterque appellatur: quia quicquid est in Patre ad Filium transfluit, et quicquid in Filio, a Patre descendit.*

Et Filius ab eo qui Pater est: unigenitus ab ingenito, progenies a parente, vivus a vivo. Ut Pater habet vitam in semetipso, ita et Filio data est vita in semetipso. Perfectus a perfecto, quia totus a toto; non divisio aut scissio, quia alter in altero, et plenitudo divinitatis in Filio est. Incomprehensibilis ab incomprehensibili; novit enim nemo nisi invicem. Invisibilis ab invisibili, quia imago Dei invisibilis est, et quia qui "videt Filium videt et Patrem." Alius ab alio, quia Pater et Filius. Non natura divinitatis alia et alia, quia ambo unum, Deus a Deo. Ab uno ingenito Deo, unus unigenitus Deus. Non Dii duo, sed unus ab uno; non ingeniti duo, quia natus est ab innato. Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex se Filium genuit, non ex aliqua subjacente materia, quia per Filium omnia; non ex nihilo, quia ex se Filium.†

* Lactan. Inst. lib. 4. c. 29. † Hilar. de Trin. lib. 2. 3.

Incarnatus.

Christum neque in phantasmate dicit [Apelles] fuisse sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet, sed in eo, quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem et aeriam contexuisse. Sed et hic ratio defendit, quod Deus imaginem et similitudinem suam a diabolo captam æmulâ operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In virginem æque introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli. In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit, bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet. Nam neque ad propositum Christi faceret evacuantis peccatum carnis, non in ea carne evacuare illud, in qua erat natura peccati; neque ad gloriam. Quid enim magnum, si in carne meliore, et alterius, id est non peccatricis naturæ, nævum peccati redemit.*

Homines enim malunt exempla, quàm verba; quia loqui facile est, præstare difficile. Neque hominem perfectâ doctrinâ esse posse, nisi sit idem Deus; ut auctoritate cœlesti necessitatem parendi hominibus imponat: neque Deum nisi mortali corpore induatur; ut præcepta sua factis adimplendo, ceteros parendi necessitate constringat. [Oportet] subire carnis, ac corporis imbecillitatem, virtutemque in se recipere, cujus doctor est; ut eam simul et verbis doceat, et factis. Item, subjectum esse morti, et passionibus

* Tert. de Carn. Chr. c. 16, 17

cunctis; quoniam et in passione toleranda, et in morte subeunda, virtutis officia versantur: quæ omnia consummatus doctor perferre debet, ut doceat posse perferri.*

Duarum Naturarum in Una Persona.

Quomodo Sermo caro sit factus, utrumne quasi transfiguratus in carne, an indutus carnem? Immo indutus. Ceterum, Deum immutabilem, et informabilem credi necesse est, ut æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse. Sermo autem Deus; et Sermo Domini manet in ævum, perseverando scilicet in sua forma. Aliter non diceretur homo Christus, sine carne; nec hominis filius, sine aliquo parente homine: sicut nec Deus, sine spiritu Dei; nec Dei filius sine Deo patre. Ita utriusque substantiæ census, hominem et Deum exhibuit; hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde spiritalem; hinc infirmum, inde præfortem; hinc morientem, inde viventem. Quæ proprietas conditionum, divinæ, et humanæ, æqua utique naturæ utriusque veritate dispuncta est, eâdem fide et spiritus, et carnis. Virtutes spiritum Dei; passiones carnem hominis probaverunt. Videmus duplicem statum, non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum et hominem Jesum.†

Quòd cùm a principio filius Dei fuisset, generari denuo haberet secundum carnem. Quòd hoc futurum esset signum nativitatis ejus, ut de virgine nasceretur

* Lactan. Ins. lib. 4. c. 23, 24. Gen. iii. 15; Jer. xxxi. 22; Is. vii. 14; Luke i. 31; Gal. iv. 4; Jh. i. 14.

† Tert. adv. Prax. c. 27, de carne Chr. c. 5.

homo, et Deus, hominis et Dei filius. Quod et homo et Deus Christus, ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos et Patrem posset.*

Tam enim scriptura, etiam Deum adnuntiat Christum, quàm etiam ipsum hominem adnuntiat Deum: tam hominem descripsit Jesum Christum, quàm etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantùm illum Filium esse proponit, sed et hominis: nec hominis tantùm dicit, sed et Dei referre consuevit: ut dum ex utroque est, utrumque sit; ne sic alterum esse non posset.†

Mediator, ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, et illo ipso inter Deum, et hominem mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis naturæ utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque, ne fortè Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursum Deus manendo non esset.‡

Verbum igitur Dei, idemque Dei Filius, Patri coeternus, eademque virtus, et sapientia Dei, longe alio modo quodam, quam eo, quo creaturis ceteris adest, suscepit hominem, seque et illum fecit unum Jesum Christum, mediatorem Dei, et hominum, æqualem Patri secundum divinitatem, minorem Patre secundum hominem. Et homo scilicet factus, et permanens Deus. Homo enim assumptus est a Deo, non in homine consumptus est Deus.§

Est ergo in Christo verbum, anima, caro: sed hoc totum unus est Christus, unus Filius Dei, et unus Salvator, ac Redemptor noster. Unus autem, non cor-

* Cyp. Test. 8. 11. † Novat. de Trin. c. 11.
‡ Hil. de Trin. lib. 9 § Aug. ep. 3, ad Volus. et ep. 65.

ruptibili nescio qua divinitatis, et humanitatis confusione, sed integra, et singulari quadam unitate personæ. Neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit, atque mutavit sed ita in unum potius utrumque compegit, ut manente semper in Christo singularitate unius ejusdemque personæ, in æternum quoque permaneat proprietas utriusque naturæ. In Deo una substantia, sed tres personæ: in Christo duo substantiæ, sed una persona.*

De Passione, Crucifixione, Morte, et Sepultu.

Iste igitur Dei radius ut retrò semper prædicabatur, delapsus in virginem quandam, et in utero ejus caro figurata nascitur homo Deo mistus. Caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, et Christus est. Si enim tangendo aliquem liberavit a vitio, vel tactus ab aliquo, quod corporaliter actum est, non potest vere actum credi, sine corporis ipsius veritate. Nihil solidum ab inani, nihil plenum a vacuo perfici licuit. Sic nec passiones Christi ejus fidem merebuntur. Nihil enim passus est, qui non vere passus est.†

Nostri igitur causa hæc omnia Jesus Christus manens, et corporis nostri homo natus, secundum consuetudinem naturæ nostræ locutus est: non tamen omittens naturæ suæ esse quod Deus est. Nam tametsi in partu, ac passione, ac morte naturæ suæ nostræ semper egerit, res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit. Et tamen cum hæc Deus per homi-

* Vincent. Common. c. 14. Acts xx. 28; Apoc. i. 5, 6, 17, 18.
† Tert. Apol. c. 21. cont. Mar. lib. 3, c. 8.

agit, ex se natus, et per se passus, et ex se mortuus, non et hominem se non egit dum et natus, et passus, et mortuus est.*

Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur; non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas; sed turbatur anima, turbatur secundum humanæ fragilitatis assumptionem, et ideo, quia suscepit animam, suscepit et animæ passiones. Non enim Deus, eo, quod Deus erat, aut turbari, aut mori potuisset. Denique Deus, Deus, inquit, meus, quare me dereliquisti? Ut homo ergo loquitur, meos circumferens metus; quod in periculis positi a Domino deseri nos putamus; ut homo turbatur, ut homo flet, ut homo crucifigitur.†

Passus est Dei Filius, non putativè, sed verè omnia, quæ Scriptura testatur, id est, esuriem, sitim, lassitudinem, dolorem, mortem, et cetera hujusmodi. Sed secundum illud passus est, quod pati poterat; non secundum illam substantiam, quæ assumpsit; sed secundum illam, quæ assumpta est. Ipse enim Dei filius secundum deitatem suam impassibilis est ut Pater, incorruptibilis est ut Pater. Sed usque ad hanc rerum seriem in Christo naturæ humanæ imbecillitas intelligatur.‡

Itaque in primis Isaac cum a patre hostia duceretur, et lignum ipsi sibi portaret, Christi exitum jam tunc denotabat, in victimam concessi a Patre, lignum passionis suæ bajulantis. Idem rursus Moses post interdictam omnis rei similitudinem, cur æneum serpentem ligno impositum pendentis habitu in spectaculum Israeli salutare proposuit, eo tempore quo a ser-

* Hil. de Trin. lib. 9, init. † Amb. de Fide ad Grat. cap. 3. fin.
‡ Aug. Serm. de Trin.

pentibus post idololatriam exterminabantur? Nisi quòd hic Dominicam crucem intentabat quâ serpens diabolus publicabatur.*

Ex quo verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, et susceptus est a verbo homo, id est totus homo, anima et caro, quid fecit passio, quid fecit mors, nisi corpus ab anima separavit? animam vero a verbo non separavit. Si enim mortuus est Dominus, sine dubio caro ipsius exspiravit animam (ad tempus enim exiguum anima deseruit carnem, sed redeunte anima resurrecturam,) a verbo autem animam separatam esse non dico. Latronis animæ dixit; *hodie mecum eris in Paradiso*. Fidelem latronis animam non deserebat, et deserebat suam? Absit: sed illius ut Dominus custodivit, suam vero inseparabiliter habuit.†

In monumento novo, quod excisum fuerat e Petra, conditus est, ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur. Quod autem in sepulchro ponendus esset, Prophetæ testimonium est dicentis. Hic habitat in excisa spelunca petræ fortissimæ, statimque post duos versiculos sequitur, Regem cum gloria videbitis.‡

De Descensu Ejus ad Inferos.

Quod si Christus Deus, quia et homo, mortuus secundum Scripturas, et sepultus secus easdem, huic quoque legi satisfecit, forma humanæ mortis apud inferos functus; nec antè ascendit in sublimiora cœlorum, quàm descendit in inferiora terrarum; ut illic

* Tert. adv. Jud. c. 11. † Aug. Tr. in Joh. 47.

‡ Hieron. in Mat. xxvii. Gen xxii. 9; Numb. xxi. 8; Mat. xxvii.; Is. liii. 3; Luk. xxiii. 55.

Patriarchas, et Prophetas compotes sui faceret. Nulli patet cœlum terra adhuc salva, ne dixerim clausa. Cum transactione enim mundi reserabuntur regna cœlorum. Eam itaque regionem sinum dico Abrahæ, etsi non cælestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat. Habes etiam de Paradiso à nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud Inferos sequestrari in diem Domini.*

Ut susceptа hominis figura, et conditione mortali, doceret homines justitiam: et cùm mandatis Dei functus, veritatem gentibus revelasset, multaretur etiam morte; ut inferos quoque vinceret, ac resignaret; atque ita demum resurgens ad Patrem proficisceretur in nube sublatus.†

Descendit ergo, in inferiora terræ, et ascendit super omnes cœlos Filius Dei; ut non tantùm legem, prophetasque compleret, sed et alias quasdam occultas dispensationes, quas solus ipse novit cum Patre. Neque enim scire possumus, quomodo et angelis, et his, qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit: et tamen quin profuerit nescire non possumus. Descendit quoque ad inferos, et ascendit ad cœlos; ut impleret eos, qui in illis regionibus, secundùm id quod capere poterant.‡

Si ergo secundùm hominem quem Verbum Deus suscepit putamus dictum esse, *hodie mecum eris in Paradiso*, non ex his verbis in cœlo existimandus est

* Tert. de Anima, c. 4, 55. adv. Mar. l. 4, c. 34.
† Lact. l. 4, c. 9. ‡ Hieron. ad Eph. iv. 10.

esse Paradisus. Neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Jesus, sed in inferno secundùm animam, in sepulchro autem secundùm carnem. Et de carne quidem, quod eo die in sepulchro sit posita, manifestum est evangelium. Quod vero illa anima in infernum descenderet, apostolica doctrina prædicat. Quandoquidem B. Petrus ad hanc rem testimonium de Psalmis adhibet, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Illud de anima dictum est, quia ibi non est derelicta, unde tam cito remeavit; illud de corpore, quod in sepulchro corrumpi celeri resurrectione non potuit. Quis ergo nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?*

De Resurrectione Ejus et Ascensu.

De corporis autem veritate quid potest clarius? Cum hæsitantibus eis ne phantasma esset, imo phantasma credentibus: Quid turbati estis? inquit, et quid cogitationes subeunt in corda vestra? videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum, quoniam Spiritus ossa non habet sicut me videtis habere. Negata vero morte, dum caro negatur, nec de resurrectione constabit. Proinde resurrectione Christi infirmatâ etiam nostra subversa est. Ut et illi erubescant, qui adfirmant carnem in cœlis vacuam sensu ut vaginam exempto Christo sedere, aut qui carnem et animam tantundem, aut tantummodo animam, carnem vero non jam.†

* Augus. Ep. 99 et 57. ad Dardanum. Acts ii. 27; Eph. iv. 9.
† Tert. adv. Mar. l. 4. c. 43, l. 3. c. 8. et de carn. c. 42.

Christus in carnis substantiâ surrexit et ostendit discipulis figuram clavorum et apertionem lateris, hæc autem sunt indicia carnis ejus quæ resurrexit a mortuis. Unum et eundem sciens Jesum Christum, cui apertæ sunt portæ cœli propter carnalem ejus assumptionem: qui etiam eâdem carne, in qua passus est, veniet.*

Fidem itaque rerum cursus implevit. Nam et crucifixus, prævento carnificis officio spiritum sponte dimisit, et die tertio rursus a mortuis sponte surrexit. Apparuit discipulis suis talis ut fuerat, agnoscendum se videntibus præbuit; simul junctus, et substantiæ corporalis firmitate conspicuus, ad dies quadraginta remoratus est, ut de eo ad præcepta vitalia instrui possent, et discerent quæ docerent. Octavus dies idem post Sabbatum primus dies futurus erat, quo Dominus resurgeret et nos vivificaret, et circumcisionem nobis spiritualem daret, hic dies octavus, id est, post Sabbatum primus et Dominicus præcessit in imagine. Tunc in cœlum circumfusa nube sublatus est: ut hominem quem dilexit, quem induit, quem à morte protexit, ad patrem victor imponeret, jam venturus è cœlo ad pœnam diaboli, et ad censuram generis humani, ultoris vigore, et judicis potestate; per orbem vero discipuli magistro et Deo monente diffusi, præcepta Dei in salutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, cœcos et ignaros ad agnitionem veritatis ocularent.†

Ita ergo et homo Jesus Christus passione sua diabolum superans, resurrectione sua inferna reseran-

* Iren. Hær. l. 5. c. 7, l. 3. c. 18.
† Cyp. de van. idol. p. 16. et Ep. 9.

tanquam perfecto opere ad cœlos victor adveniens, audit a Deo Patre, *Sede ad dexteram meam.* Nec mirum est, si unius sedis offertur Filio consessus a Patre, qui unius est substantiæ et naturæ cum Patre. Manus est quæ operatur pariter atque dispensat divina mysteria, cujus vocabulo non dedignatus est se Dei Filium declarari, dicente David, *Dextra Domini exaltavit me.* Videamus quæ sit ratio quod idem Dominus a David sedens prophetatur, stans vero a Stephano prædicatur: *Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem ad dexteram Dei.* Primo omnium Deus qui incorporeus et invisibilis est, sedere aut stare quomodo potest? Deinde autem quali subsellio sedeat Deus, qui infinitus est et immensus? Hæc autem propterea a sanctis vivis dicta arbitror esse de Domino, non quo sint contraria sibi, sed ut modo ejus potentia, modo misericordia describatur. Nam utique pro potestate Regis, sedere dicitur, pro bonitate Intercessoris, stare suggeritur. Ait enim beatus Apostolus; quia Advocatum habemus apud Patrem *Jesum Christum.* Judex ergo est Christus, cum residet: Advocatus, cum assurgit. Hæc vera resurrectio, quæ sic gloriam tribuit carni, ut non auferat veritatem.*

Resurrectionis quippe gloria in Christo, omne quod infirmum et fragile videbatur absolvit. Resuscitatur caro quæ deposita erat in sepulcro, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam: "Quia non dabis sanctum tuum videre corruptionem." Rediit ergo victor à mortuis, inferni secum spolia trahens; eduxit enim eos qui tenebantur à morte. Placuit autem ita, ut

* Amb. Ennar. Ps. 110. Hexam. l. 6. c. 9.

corpus quod mortale et corruptibile susceperat, de sepulchri petra levatum, et immortale atque incorruptibile effectum, jam non in terrenis, sed in cœlestibus et in Patris dextra collocaret. Consummatis et enim his quæ in terrâ gerebantur, et animabus de inferni captivitate revocatis, ascendere memoratur ad cœlos, sicut propheta prædixerat: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Sedere quoque ad dexteram Patris, carnis assumptæ mysterium est: neque enim incorporeæ illi naturæ convenienter ista absque assumptione carnis aptantur: nequé sedis cœlestis profectum divina natura, sed humana conquirit. Unde et dicitur de eo: Parata sedes tua Domine, ex tunc à seculo tu es.*

Sciat sané qui has proposuit quæstiones, Christum post resurrectionem cicatrices non vulnera demonstrasse dubitantibus, propter quos etiam cibum et potum sumere voluit, non semel sed sæpius, ne illud non corpus sed spiritum esse arbitrarentur; et sibi non solide sed imaginaliter apparere. Tunc autem illæ falsæ cicatrices fuissent si nulla vulnera præcessissent, et tamen nec ipsæ essent si eas esse noluisset. Voluit autem certæ dispensationis gratiâ, ut eos quos edificabat in fide non ficta non aliud pro alio, sed hoc quod crucifixum viderant resurrexisse monstraret. Secundùm majestatem suam, secundùm providentiam, secundùm ineffabilem et visibilem gratiam impletur quod ab eo dictum est, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Secundùm carnem verò quam Verbum assumpsit, secundùm

* Ruf. in Symb. p. 24.

id quo de virgine natus est, secundum id quo à Judæis comprehensus est, quo ligno confixus, quo in sepulchro conditus, quo in resurrectione manifestatus, *non semper habebitis me vobiscum.* Quare? Quoniam conversatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, et eis deducentibus videndo non sequendo ascendit in cœlum, et non est hic; ibi enim sedet ad dexteram Patris, et hic est. Credimus etiam quod sedet ad dexteram Dei Patris. *Ad dexteram* intelligendum est dictum esse in summa beatitudine, ubi justitia et pax et gaudium est. Quid est Patris dextra, nisi illa æterna ineffabilisque felicitas, quò pervenit Filius hominis, etiam carnis immortalitate percepta? Ideo jam in ipsa immortalitate positus Christus dicitur sedere ad dextram Dei. Non enim Deus in seipso habet dextram aut sinistram; sed dextra Dei dicitur felicitas illa, quæ quoniam ostendi non potest, tale nomen accepit.*

De Christo Mediatore.

Suo igitur sanguine redimente nos Domino, et dante animam suam pro nostra anima, et carnem suam pro nostris carnibus, et effundente spiritum Patris in adunationem, et communionem Dei, et hominum, ad homines quidem deponente Deum per Spiritum; ad Deum autem rursus imponente hominem per suam incarnationem, et firme, et vere in adventu suo donante nobis incorruptelam, per communionem quæ est ad Deum; perierunt omnes hæreticorum doctrinæ. Oportebat mediatorem Dei et hominum per

* Aug. de Fid et Symb. et in Ps. 137. Mat. xxviii. 6. Luke xxiv. 39. Mark xvi. 19. Acts x. 41, 42.

suam cum utroque propinquitatem, ambos in amicitiam, et concordiam adducere, ac Deo quidem repræsentare hominem, hominibus verò Deï communicare notitiam.*

Hic sequester Dei, atque hominum appellatus, ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrabonem spiritus reliquit, ita et a nobis arrabonem carnis accepit, et vexit in cœlum pignus totius summæ illûc quandoque redigendæ.†

Fuit igitur Deus et homo, inter Deum atque hominem medius constitutus. Unde illum Græci μεσίτην vocant; ut hominem perducere ad Deum posset, id est ad immortalitatem; quia si Deus tantùm fuisset, ut suprà dictum est, exempla virtutum homini præbere non posset: si homo tantùm, non posset homines ad justitiam cogere, nisi auctoritas, ac virtus homine major accederet. Itaque idcirco mediator advenit, id est Deus in carne, ut caro eum sequi posset, et ut eriperet morti hominem, cujus est dominatio in carne.‡

Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, et illo ipso inter Deum et hominem mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est; ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursum Deus manendo non esset. Et hæc sanctorum expectatio fuit, ut omnis caro redimeretur in Christo; ut in eo

* Iren. Hær. l. 5. c. 1.

† Tert. de res. car. c. 51. et con. Prax. c. 27.

‡ Lact. l. 4. c. 25.

æternæ resurrectionis primitiæ existerent. Hoc enim in multitudine misericordiæ beneplacitum est tempus cum in se universorum hominum vitam Deus miserans, ut miserator Deus, vitam esset largiturus ex mortuis.*

Neque enim pretium quæsivit a nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium solvit, quia non auro, et argento, sed pretioso nos redemit sanguine. Ergo id pretium debes, quo redemptus es: etsi ille non semper exigat, tu tamen debes. Eme igitur Christum tibi, non eo quod pauci habent, sed eo quod omnes habent. Ipse vitam omnibus dedit; ipse pro omnibus mortem suam obtulit. Solve pro auctore quod soluturus es lege. Pretium nostræ liberationis erat sanguis Domini Jesu, quod necessario solvendum erat ei, cui peccatis nostris venditi eramus. Illum quidem oportebat pro omnibus mori, ut in ejus cruce fieret remissio peccatorum, et sanguis ipsius mundi inquinamenta lavaret. Sed væ illis qui auctorem salutis propriæ negaverunt.†

Ille vulneratus est propter iniquitates nostras, dicens in Psalmo, *Foderunt manus meas et pedes*, ut suo vulnere vulnera nostra curaret. Et attritus est sive infirmatus propter scelera nostra, ut factus pro nobis maledictum nos liberaret a maledicto, *Maledictus autem homo qui pendet in ligno.* Unde, *Disciplina pacis nostræ super eum est.* Quod enim nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terra sive quæ in cœlis sunt. Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit

* Hil. de Trin. l. 9, sub init. et in Ps. 18.

† Amb. de Jos. c. 7, et in Lev. et in Ps. 38.

peccata mundi; si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit. Aut enim ostendendi sunt non esse de mundo, quos Christi ignoret indulgentia: aut si de mundo sunt, eligendum e duobus alterum. Liberati a peccatis Christi potentiam probant: non liberati, quasi adhuc rei, imbecillitatem demonstrant.*

Ideo Christus Mediator Dei et hominum dictus est inter Deum immortalem, et hominem mortalem, Deus et homo, reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat. Mediatorem inter Deum et homines Christum Jesum ad hoc esse [dicimus], ut eos qui recesserunt per se reconciliet. Medius enim non est nisi inter duos. Recesseramus a majestate Dei, et peccato nostro offenderamus eum. Missus est Filius Mediator, qui sanguine suo solveret peccata nostra, quibus separamur a Deo, et interpositus redderet nos ei, et reconciliaret, a quo aversi in peccatis nostris, et delictis tenebamur. Erant illi enim mortales et peccatores: tu autem, Domine, cui reconciliari superbè quærebant, immortalis, et sine peccato. Mediator autem inter Deum et homines oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus: ne in utroque hominibus similis, longè esset a Deo; aut in utroque Deo similis, longè esset ab hominibus, atque ita mediator non esset.

Et quidem solus ille sacerdos, talis extitit, ut ipse quam esset sacrificium, obtulit Deo non aliud, quam seipsum. Non enim inveniret præter mundissimam rationalem victimam, tanquam agnus immaculatus fuso

* Hieron. Ep. 83.

sanguine suo redimens nos, concorporans nos sibi, faciens nos membra sua, ut in illo et nos Christi essemus. Quis est sacerdos, nisi unus sacerdos, qui intravit in sancta sanctorum? Quis est sacerdos nisi qui fuit et victima, et sacerdos? nisi ille qui cum in mundo non inveniret mundum quod offerret, se ipsum obtulit? Orat pro nobis, ut sacerdos noster: orat in nobis, ut caput nostrum: oratur a nobis, ut Deus noster. Sed attende: Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum: ego dico nonnisi pro peccatoribus mortuum: ita ut respondere cogaris, si nullo peccato parvuli obstricti sint, non esse pro parvulis mortuum. Dicit enim ad Corinthios, "Quoniam unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est." Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Nunquid eos, qui de corpore exierunt? Quis ita desipiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus unus mortuus est Christus, quomodo alibi dicit; "Et vos cum essetis mortui in delictis, et præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo." Ac per hoc," inquit, "unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt;" ostendens fieri non potuisse ut moreretur, nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes si pro omnibus mortuus Christus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat Christianum.*

* Aug. in Ps. xc. et Conf. c. 42, et Errat. Ps. xxvi. 132. et con Jul. lib. 6. Is. liii. 4, 5, 6. Rom. v. 10. Eph. ii. 16, 17, 18. Heb. ii. 17, 18. 1 Jh. ii. 1, 2.

DE SPIRITU SANCTO.

Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis et discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum prò nostra salute; et in Spiritum Sanctum qui per prophetas prædicavit. Quoniam autem et Sapientia, quæ est Spiritus, erat apud Deum ante omnem constitutionem, per Salomonem ait: "Deus Sapientiâ fundavit terram." Nunc partem aliquam Spiritus ejus sumimus ad perfectionem et præparationem incorruptelæ, paulatim assuescentes capere et portare Deum.*

Duos definimus Patrem et Filium, et jam tres cum Spiritu Sancto, secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum; duos tamen Deos, et duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unusquisque. Tertius et Spiritus Sanctus a Deo et Filio. Ita Trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens, et Monarchiæ nihil obstrepit et οἰκονομίας statum protegit.†

Nam si baptizari quis apud hæreticos potuit; utique et remissam peccatorum consequi potuit. Si peccatorum remissam consecutus est, et sanctificatus est, et templum Dei factus est; quæro cujus Dei? Si creatoris, non potuit qui in eum non credidit; si Christi, nec hujus fieri potest templum qui negat Deum Christum: si Spiritus Sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiri-

* Iren. Hær. lib. 1. c. 2 et 4. 37.
† Tert. adv. Prax. c. 13.

tus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est. *

Illa vero omnia quæ de Christo memorantur ad dispensationem carnis, spectant: igitur Sancti Spiritus memoratione adimpletur mysterium Trinitatis. Sicut enim unus dicitur Pater et alius non est Pater: unus dicitur et unigenitus Filius, et alius unigenitus non est: ita est et Spiritus Sanctus unus, et alius non potest esse Spiritus Sanctus. Ut ergo fiat distinctio personarum affectionis vocabula secernuntur; quibus ille Pater intelligatur, ex quo omnia, et quod ipse non habeat Patrem; Filius vero tanquam qui ex Patre natus sit; et Spiritus Sanctus tanquam de Dei ore procedens et cuncta sanctificans. Ut autem una eademque in Trinitate divinitas doceatur; sicut dictum est, in Deum Patrem credi adjecta præpositione, *in*; ita et *in* Christum Filium ejus, ita et *in* Spiritum Sanctum memoratur.†

Ipse solus est æternus, quia initio et fine caret, id est Deus Pater, qui coæternum sibi, et co-omnipotens Verbum, cum quo Spiritum Sanctum produxit. Misit nobis Spiritum Sanctum, de propria sua, et ipsa una substantia sua protectorem, sanctificatorem, et deductorem in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce Dei: "Effundam de Spiritu meo super servos meos, et ancillas meas." Spiritus autem Sanctus vere Spiritus est procedens quidem a Patre, et Filio; sed non est ipse Filius, quia non generatur; neque Pater, quia procedit ab utroque, non genitus, non ingenitus, non factus. Qui non ex tempore, sed ab æterno a Patre, Filioque inseparabiliter procedit. ‡

* Cyp. Ep. 73. † Ruf. in Symb. p. 17.
‡ Ambr. de Sp. Sanc. lib. 1, c. 10., et de Symb. c. 1.

Nec possumus dicere, quòd Spiritus Sanctus a Filio non procedat; neque enim frustra idem Spiritus et Patris, et Filii, Spiritus dicitur. Intelligat, sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Spiritus Sanctus, sic dedisse Filio, ut de illo procedat idem Spiritus Sanctus, et utrumque sine tempore; atque ita dictum Spiritum Sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quòd etiam procedit de Filio, de Patre essè, et de Filio: Si enim quicquid habet, de Patre habet Filius; de Patre habet utique, ut de illo procedat Spiritus Sanctus. Cur ergo non credamus, quòd etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cùm Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non post resurrectionem se repræsentans discipulis suis, insufflans diceret: "Accipite Spiritum Sanctum." Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus Sanctus et de ipso? *

DE DIVINIS SCRIPTURIS FONTE FIDEI.

Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritus ejus dictæ. Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconizaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostræ futurum.†

Adoro Scripturæ plenitudinem, qua mihi et Factorem manifestat et facta. An autem de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi.

* Aug. de Trin. c. 4 et 26, et in Johan. Trac. 99. Joh. xv. 26. Acts v. 3, 4. 1 Cor. iii. 16, 17, vi. 19. 1 Pet. i. 11.

† Iren. adv. Hær. lib. 3 et l. 2 c. 47.

Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat Væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum. Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers.*

Unde est ista traditio? Utrumne de Dominica et evangelica authoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur et proponit, ad Jesum Nave dicens, "Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die et nocte ut observes facere omnia quæ Scripta sunt in eo." Item Dominus, Apostolos suos mittens, mandat, "Baptizari gentes et doceri, ut observent omnia quæcunque ille præcepit." Si ergo aut Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut Actibus continetur, ut a quacunque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponatur in pœnitentiam, servetur divina hæc et sancta traditio.†

Ecclesia Christi quæ habitat bene, et in toto orbe ecclesias possidens, Spiritus unitate conjuncta est, et habet urbes, Legis, Prophetarum, Evangelii, et Apostolorum, non est egressa de finibus suis, id est, de Scripturis Sanctis, sed cœptam retinet possessionem. Quæ absque auctoritate et testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei. Quod de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.‡

In his quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresque viven-

* Tert. adv. Herm. c. 22, et de car.

† Cypr. Ep. 74. ‡ Hieron. in 1. Mic. et 1. Hag. et 23 Mat.

di. Quod igitur amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit. Id genus litterarum, quæ non præcipiendi auctoritate, sed proficiendi exercitatione scribuntur a nobis, non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate legendum est; cui tamen ne intercluderetur locus, et adimeretur posteris ad quæstiones difficiles tractandas, atque versandas, linguæ ac styli saluberrimus labor; distincta est a posterioribus libris excellentia Canonicæ auctoritatis Veteris et Novi Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, et propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis et pius intellectus. Ego enim fateor, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici vocantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.*

Libri Canonici.

Et ea causa est ut in viginti duos libros lex Testamenti Veteris deputetur, ut cum literarum numero convenirent. Qui ita secundùm traditiones veterum deputantur, ut Mosi sint libri quinque, Jesu Nave sextus, Judicum et Ruth septimus: primus et secundus Regnorum in octavum, tertius et quartus in nonum, Paralipomenon duo in decimum sint: Sermones Dierum et Esdræ in undecimum, liber Psalmorum in duodecimum, Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum in tertium decimum, quartum deci-

* August. de doct. Chris. lib. 2 c. 9. de Bono Vidu. lib. 1 ad Hier. Ep. 19. Cont. Faust. lib. 11, c. 5.

mum, et quintum decimum, duodecim autem Prophetæ in sextum decimum. Esaias deindè, et Hieremias cum Lamentatione et Epistola, (al. cum Lamentationibus,) sed et Daniel, et Ezechiel, et Job, et Hester, viginti et duûm librorum numerum consument.*

Quomodo igitur viginti duo elementa sunt per quæ scribimus Hebraice omne quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur, ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis et exordiis in Dei literis tenera adhuc et lactans viri justi erudiatur infantia.†

Itaque Veteris Testamenti primo omnium Moysi quinque libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Post hos Jesu Nave, et Judicum simul cum Ruth: quatuor post hæc Regnorum libri, quos Hebræi duos numerant; Paralipomenon, qui dierum dicitur liber; et Esdræ libri duo, qui apud illos singuli computantur, et Hester: Prophetarum vero Esaias, Hieremias, Ezechiel et Daniel; præterea duodecim Prophetarum liber unus: Job quoque et Psalmi David singuli sunt libri: Solomonis vero tres Ecclesiis tradidit, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum. In his concluserunt librorum numerum Veteris Testamenti. Novi vero quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: Actus Apostolorum, quos descripsit Lucas: Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim. Petri Apostoli Epistolæ duæ. Jacobi fratris Domini et Apostoli una: Judæ una: Joannis tres. Apocalypsis Joannis. Hæc sunt quæ patres intra Canonem concluserunt; ex quibus fidei nostræ

* Hilar. in Prol. in Ps. † Hieron. in Prol. Gal.

assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod et alii libri sunt qui non canonici, sed ecclesiastici a majoribus appellati sunt: ut est Sapientia Solomonis, et alia Sapientia quæ dicitur filii Syrach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur; quo vocabulo non auctor libelli, sed Scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem ordinis est libellus Tobiæ, et Judith, et Maccabæorum libri.*

Sicut ergo Judith et Tobiæ, et Maccabæorum libros legit quidem ecclesia, sed duos inter canonicas Scripturas non recipit; sic et hæc duo volumina legit ad ædificationem plebis, non ad autoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.†

De consensu V. et N. Testamenti.

Non ergo quorundam infidelitatem Legi ascribant: non enim lex prohibebat eos credere in Filium Dei, sed et adhortabatur dicens, non aliter salvari homines ab antiquâ serpentis plagâ, nisi credant in eum, qui secundùm similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, et omnia trahit ad se et vivificat mortuos. Quoniam a Moyse Lex inchoavit consequenter in Johanne desivit, ad impletionem ejus advenerat Christus. Quia Dominus naturalia Legis, per quæ homo justificatur, quæ etiam ante Legis dationem custodiebant, qui fide justificabantur et placebant Deo, non dissolvit, sed extendit, sed et implevit, ex sermonibus ejus ostenditur.‡

Necnon Deus ante prædixerat fore, ut vergente

* Ruffin. Expos. in Symb. ad Cal. Cyp.
† Id. Hieron. in libros Salom.
‡ Iren. adv. Hær. l. 4, c. 5, 8, 27.

sæculo, et mundi fine jam proximo, ex omni gente et populo et loco, cultores sibi allegeret Deus multo fideliores, et melioris obsequii; qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent, quam acceptam Judæi contemtis religionibus perdidissent. Hujus igitur indulgentiæ, gratiæ disciplinæque arbiter et magister, Sermo et Filius Dei mittitur qui per prophetas omnes retro, illuminator et doctor humani generis prædicabatur. Sciebant et Judæi Christum esse venturum. Nam hic illis semper prophetis admonentibus adnunciabatur. Fidem itaque rerum cursus implevit.*

Verùm Scriptura omnis in duo Testamenta divisa est. Illud quod adventum Domini passionemque antecessit, id est, lex et prophetæ, vetus dicitur. Ea verò quæ post resurrectionem ejus scripta sunt, Novum Testamentum nominatur. Judæi Veteri utuntur, nos Novo. Sed tamen diversa non sunt, quia Nova Veteris adimpletio est, et in utroque idem testator est Christus.†

Quid est enim quod dicitur Testamentum Vetus, nisi occultatio Novi? Et quid est aliud quod dicitur Novum, nisi veteris revelatio? Mare Rubrum significat baptismum, Moses ductor per Mare Rubrum significat Christum; populus transiens significat fideles; mors Ægyptiorum significat abolitionem peccatorum. In signis diversis eadem fides. In illis carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerit oblaturus, et sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. Hujus veri sacrificii multiplicia variaque sig-

* Cyp. de Idol. Van. in fin. † Lact. de Vera Sap. lib. 4.

na erant sacrificia prisca sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt. Vetus autem Testamentum recte intelligentibus prophetia est Novi Testamenti.*

Sed unus Deus in quo Novi et Veteris Testamenti doctrina concordat. Duobus enim Testamentis fides nostra consurgit; nec injuriam facit, qui parem dixerit in utroque perfectæ fidei mensuram, cùm dicat ipse Dominus: "*Si crederetis Moysi, crederetis et mihi.*" Hæc dicit spiritalia quia non mundi lege parata sunt, sed Dei virtute sine elementorum commixtione ad tempus creata, habentia in se figuram futuri mysterii, quod manu sumimus in commemorationem Christi Domini.†

De obligatione Legis Moralis.

Sacrificiorum onera, et operationum, et oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi Deus talia proprie sibi desideraverit, qui tam manifeste exclamat: "*Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum?*" et "*Quis exquisivit ista de manibus vestris?*" Sed illam Dei industriam sentiat, quæ populum, pronum in idololatriam et transgressionem, ejusmodi officiis religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio seculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinquerent.‡

* Aug. in Joh. Tr. 25 et de Fid. c. 18 et de Civ. lib. 10. c. 20, et cont Faus. lib. 15. c. 2.

† Amb. in Ep. ad Cor. c. 10, et in Luc. 20. 15.

‡ Tert. adv. Mar. 2.

In Lege igitur et Evangelio cùm sit primum et maximum præceptum, diligere Dominum Deum ex toto corde; dehinc simile illi, diligere proximum sicut teipsum; unus et idem ostenditur Legis et Evangelii conditor. Consummatæ enim vitæ præcepta in utroque cum sint eadem, eundem ostenderunt Deum, qui particularia quidem præcepta apta utrisque præcepit; sed eminentiora et summa, sine quibus salvari non potest, in utroque eadem suasit. Omnia enim hæc non contrarietatem et dissolutionem præteritorum continent, sicut qui a Marcione sunt vociferantur; sed plenitudinem et extensionem, sicut ipse ait, "*Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*" *

Lex verò æterna est ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas Scripsit "*Quod tibi non vis fieri ne facias alteri:*" hoc et antequam lex daretur nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, et quibus lex non est data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis quod in cordibus non legebant. Non enim et scriptum non habebant, sed legere nolebant. Si enim discernimus duo Testamenta, Vetus et Novum, non sunt eadem sacramenta, nec eadem promissa, eadem tamen pleraque præcepta. Nam non occides, non mœchaberis, non furaberis, honora patrem et matrem, non falsum testimonium dixeris, non concupisces res proximi tui, et non concupisces uxorem proximi tui, et nobis

* Iren. Hær. lib. 4, c. 26, 27.

præceptum est. Et quisquis ea non observaverit deviat.*

DE STATU HOMINIS.

De Originali Peccato.

Non aliter salvari homines ab antiquâ serpentis plagâ, nisi credant in eum, qui secundùm similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, et omnia trahit ad se, et vivificat mortuos. Filius Dei semper existens apud Patrem, quando incarnatus est et homo factus, longam hominum expositionem in se ipso recapitulavit, in compendio nobis salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei hoc in Christo Jesu reciperemus. Quemadmodum per inobedientiam unius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, et amiserunt vitam: ita oportuit et per obedientiam unius hominis, qui primus de Virgine natus est, justificari multos et percipere salutem.†

Satanam denique in omni aversatione et aspernatione et detestatione pronuntias, quem nos dicimus malitiæ Angelum, totius erroris artificem, totius sæculi interpolatorem, per quem homo a primordio circumventus ut præceptum Dei excederet, et propterea in

* Aug. con. Faus. lib. 22, c. 27, et in Ps. lvii. 73. Ps. cxix. 105. Mat. xv. 9. 2 Tim. iii. 15, 16, 17. Mat. v. 17, 18. Acts xviii. 28. Joh. v. 39, 46. Dan. xii. 2, 3. 1 Tim. ii. 5. Heb. xi. 16, 14. Gal. iii. 25. Col. ii. 16, 17. Acts xv. Heb. vii. 12, 18. Jac. ii. 8, 9, 10, 11.

† Irenæus adv. Hær. lib. 4, c. 5, et 3, c. 20.

mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ damnationis traducem fecit. In Virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Cùm dicit [Apostolus] "Fuimus naturâ filii iracundiæ;" Creatoris autem non naturâ sunt filii Judæi sed adlectione Patrum: iræ filios ad naturam retulit, non ad Creatorem. Ad summam subjungens: sicut et cæteri, qui utique filii Dei non sunt, apparet communi naturæ omnium hominum et delicta et concupiscentias carnis, et incredulitatem et iracundiam reputare; diabolo tamen captante naturam, quam et ipse jam infecit, delicti semine illato.*

Cæterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset; magis adultos et provectos, et majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo atque gratiâ nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccavit, nisi quod secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit,

* Tertul. de Anima, c. 3, de carne Christi, c. 17, con. Marcion. c. 17.

quòd illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata. Et idcirco, frater charissime, hæc fuit in concilio nostra sententia, a baptismo atque gratia Dei, qui omnibus misericors, et benignus, et pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa universos observandum sit atque retinendum: magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus, qui hoc ipsô de ope nostra, ac de divina misericordia plus merentur, quòd in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quam deprecantur.*

"Vivet anima mea et laudabit te." Vivere se in hac vita non [David] reputat, quippe qui dixerat: "ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea." Scit sub peccati origine, et sub peccati lege esse se natum.†

Solus enim per omnia ex natis de fœmina sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate non senserit, et cœlesti majestate depulerit. Omnes in Adam morimur, quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: illius igitur culpa mors omnium est. Cave ergo, ne ante nuderis, sicut Adam nudatus est, mandati cœlestis custodiâ destitutus, et exutus fidei vestimento; et sic lethale vulnus accepit, in quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens, vulnera ejus acerba curasset. Antequam nascamur, maculamur contagiô: et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in

* Cyprian. Ep. 64, ad Fidum. † Hilar. Expos. Ps. cxviii.

iniquitate concipimur. Non expressit utrum parentum an nostrâ. Et in delictis generat unumquemque mater sua, nec hîc declaravit utrum in delictis suis mater pariat, an jam sint et aliqua delicta nascentis. Sed vide né utrumque intelligendum sit: quoniam et parentes non carent lapsu, nec conceptus iniquitatis exors est. Nam si nec unius diei infans sine peccato est, multo magis nec illi materni conceptûs dies sine peccato sunt. Quis iste peccati fœnerator, nisi Diabolus, a quo Eva mutuata peccatum obnoxiæ successionis, usuris defœneravit omne genus humanum? Denique quasi malus fœnerator, chirographum tenuit, quod postea Dominus suo cruore delevit. Diabolus Evam decepit, ut supplantaret virum, obligaret hæreditatem. Omnes homines, sub peccato nascimur. Quorum ipse ortus in vitiô est, sicut habes lectum, dicente David: "Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mea mater." *

Homo peccator genuit hominem sine dubio peccatorem. Quia de natura vitiata non nisi natura nascitur vitiosa id est peccatrix. Quis mihi commemorat peccata infantiæ meæ? Quia nemo mundus a peccato coram te, nec infans cujus diei vita super terram. Quid ergo tunc peccabam an quia uberius inhiabam plorans? An pro tempore etiam illa bona erant, flendo petere etiam quod noxie daretur, indignari æriter his a quibus genitus est, feriendo niti nocere quantum potest? Ita imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium. Attende quod dico,

* Amb. exp. in S. Luk. c. 2. iv. x. et in Ps. l. de Tob. c. ix. xxii. et de pœnit. c. 2.

gratia perfecte hominem novum facit, quandoquidem et ad corporis immortalitatem plenamque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfecte innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem attinet ab omnibus malis et ab omni corruptione mortalitatis. Tu putas, quòd si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur: multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Horum itaque malorum præteritus omnis reatus sacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renascentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente. Concupiscentia minuitur charitate magis magisque ferventa. In eis ergo qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum quæ manere non possunt, quoniam cum fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, et nisi remittatur, in æternum manebit; sic illius concupiscentiæ quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Quomodo manent peccata, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu? Sic itaque fieri e contrario potest, ut etiam illud maneat actu, præteriat reatu. Dixi quomodo manent peccata reatu, quæ præterierunt actu, sic e contrario fieri potest, ut concupiscentia maneat actu, et prætereat reatu. Tale est carnis concupiscentia, ut maneat in homine secum per continentiam confligente, quamvis ejus reatus qui fue-

rat generatione contractus, jam sit regeneratione transactus. Actu enim manet non quidem abstrahendo et illicendo mentem, ejusque consensu concipiendo et pariendo peccata, sed mala quibus mens resistat, desideria commovendo. Ipse quippe motus, actus est ejus quamvis mente non consentiente desit effectus. Inest enim homini malum et præter istum actum, id est, præter hunc motum, unde surgit hic motus: quem motum dicimus desiderium. Non enim semper est desiderium contra quod pugnemus, sed si tunc non est quando non occurrit quod concupiscatur, sive animo cogitantis sive sensibus corporis; fieri potest ut insit qualitas mala, sed nulla sit tentatione commota; sicut inest timiditas homini timido & quando non timet. Cum vero occurrit quod concupiscatur, nec desideria mala nobis etiam nolentibus commoventur, sanitas plena est. Absit ut dicamus sanctificari concupiscentiam cum qua necesse habent regenerati, si non in vacuum Dei gratiam susceperunt, intestino quodam bello tanquam cum hoste confligere, et ab ea peste desiderare atque optare sanari.*

De libero Arbitrio et necessitate gratiæ.

Propter hoc ergo signum salutis nostræ, eum qui ex Virgine Emmânuel est, ipse Dominus, quoniam ipse Dominus erat qui salvabat eos, quia per semetipsos non habebant salvari: et propter hoc Paulus infirmitatem hominis annuntians, ait: "Scio enim quo-

* Augus. conf. lib. 1. c. 7. Hyp. 2. cont. Julian, lib. 6. c. 5, 8, de nupt. c. 26, 27. Rom. v. 14, 18, 19; vii. 18; i. 7. Gen. viii. 21. Gal. v. 17.

niam non habitat in carne mea bonum:" significans quoniam non a nobis sed a Deo est bonum salutis nostræ. Et iterum: "Miser ego homo, quis mé liberabit de corpore mortis hujus?" Deinde infert liberatorem; "Gratia Jesu Christi Domini nostri." Nec enim potest quisquam extra Dominica constitutus bona, sibimetipsi acquirere salutis elementa.*

Scis ipse profecto, et mecum pariter recognoscis quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum. Scis ipse, nec prædico, in proprias laudes odiosa jactatio est: quamvis non jactatum possit esse, sed gratum quicquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur; ut jam non peccare esse cœperit fidei; quod ante peccatum est fuerit erroris humani. Dei est inquam, Dei omne quod possumus: inde vivimus, inde pollemus, inde sumto et concepto vigore, hic adhuc positi futurorum indicia prænoscimus. Ceterum si tu innocentiæ, si justitiæ viam teneas, si illapsa firmitate vestigii tui incedas, si in Deum viribus totis, ac toto corde suspensus; hoc sis tantum quod esse cœpisti: tantum tibi ad licentiam datur, quantum gratiæ spiritalis augetur. In nullo gloriandum quando nostrum nihil sit. In evangelio cata Johannem: Nemo potest quidquam accipere, nisi datum fuerit illi de cœlo. Item in epistola Pauli ad Corinthios prima: Quid enim habes quod non acceperis? Item in Basileion primo: Nolite gloriari, neque loquamini elata, et non procedat magniloquentia ex ore vestro: quia Deus scientiarum

* Iren. adv. Hær. lib. 3, c. 22, lib. 4, c. 27.

Dominus. Item illic: Invalidus factus est arcus potentium, et infirmi accincti sunt virtute.*

Non est in potestate nostra cor nostrum, et nostræ cogitationes. Potest non soli visum esse, quod sibi visum esse declarat; non enim voluntate tantum humana visum est, sed sicut placuit ei, qui in me loquitur, Christus; qui, ut id quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operatur: quem enim miseretur et vocat. Et ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere; Visum est et mihi: quod cum dicit, non negat Deo visum: A Deo enim præparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorificetur a Sancto, Dei gratia est.†

Quis autem nostrum dicat quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ, dicente Domino, "Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis," utique liberi ad bene justeque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant et amore peccati; hoc eis placet quod eis libet: Unde et Apostolus, "Cum essetis," inquit, "servi peccati, liberi fuistis justitiæ."

Qui prævenit nolentem ut velit, subsequitur volentem ne frustra velit. Quis nostrum dicit consentire proprium esse voluntatis, hoc est, ex propriis viribus? Non hoc dicimus, sed consentire ad voluntatem pertinere docemus, postquam præventa est a Domino, et

* Cyp. ad Donat. sec 3, et Test. lib. 3, sec. 4.
† Amb. in Luc. c. 1.

sic accepit consentiendi potestatem. Ipsum, inquit, velle credere aut converti non potest homo habere, nisi per gratiam prævenientem acceperit ut posset. Bonum propositum quidem adjuvat subsequens gratia, sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia. Quid hic dicimus fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus? Ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur? Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi volens. Noli te cogitare invitum trahi, trahitur animus et amore. "Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum;" non enim ait, *duxerit*, ut illi aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Hominis autem propositum adjuvat bonum quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia. Studium quoque hominis quod dicitur bonum quamvis cùm esse cœperit adjuvetur gratia, non tamen incipit sine gratia. Quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem et co-operando perficit quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus co-operatur perficiens; propter quod ait Apostolus, "Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Jesu." Ut ergo velimus sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum co-operatur. Tamen sine illo vel operante ut velimus, vel co-operante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus. Sic itaque Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonæ mutationis suæ usque in finem consummationis, qui gloriatur in Domino glorietur. Quia sicut nemo potest bonum inchoare

sine Domino, sic nemo perficere sine Domino. Quòd gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (quod fides vera et catholica tenet semper ecclesia) pusillos cum magnis, à morte primi hominis ad vitam secundi hominis transfert, non solùm peccata delendo, verùm etiam ad non peccandum rectèque vivendum eos qui jam uti possunt voluntatis arbitrio, sic adjuvando, ut nisi adjuvet, nihil pietatis atque justitiæ sive in opere sive etiam in ipsa voluntate habere possimus: "Deus quippe operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate." Liberum arbitrium ergo evacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus: sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam statuitur. Neque enim lex impletur nisi libero arbitrio; sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ a vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio.*

Velle et currere meum est; sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum. Deus semper largitor semperque donator est. Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto ut accipiam et cum accepero, rursus peto. Avarus sum in accipiendo beneficia Dei: nec ille deficit in dando, nec ego in accipiendo. Quanto plus bibero, tanto plus sitio.†

* August. cont. duas ep. Pelag. lib. 1, c. 2. 2. c. 9, et in Joh. Tr. 25, et de gratia et liber. arb. c. 17, et ep. 106, ad Paulinum.

† Hieron. ep. ad Ctes. c. 3. Joh. xv. 4, 5; vi. 44. 1 Cor. ii. 14; xii. 3. Phil. ii. 13.

DE HOMINIS JUSTIFICATIONE.

Didicerat [Abrahamus] enim a Verbo Domini, et credidit ei. Quapropter et deputatum est ei ad justitiam a Domino. Fides enim, quæ est apud Deum altissimum, justificat hominem. Ad hoc Filius revelavit Patrem, ut per eum omnibus manifestetur, et eos quidem qui credunt, in æternum refrigerium recipiat. Credere autem ei est facere ejus voluntatem. Dominus naturalia legis, per quæ homo justificatur, quæ etiam ante legislationem custodiebant, qui fide justificabantur et placebant Deo, non dissolvit, sed extendit, sed et implevit.*

Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est ad Christum nolle ire, qui sè non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim; Justum fide vivere. Si justus es, et fide vivis, si vere in Deum credis; cur non cum Christo futurus et de Domini pollicitatione securus, quòd ad Christum voceris, amplecteris; et quòd diabolo careas, gratularis. Fidem in totum prodesse, et tantum nos posse quantum credimus; in Genesi: "Et credidit Abraham Deo, et deputatum ei ad justitiam." Posse eum statim consequi [Baptismum] qui vere crediderit; in Actibus Apostolorum: "Ecce aqua, quid est quod me impedit baptizari? Tunc dixit Philippus: Si credis ex toto corde tuo, licet." Et circa Abraham benedictio illa præcedens, ad nostrum populum pertinebat.

* Ir. adv. Hær. lib. 4, c. 13, 27.

Nam si Abraham Deo credidit, et deputatum est ei ad justitiam; utique quisquis Deo credit, et fide vivit, justus invenitur, et jampridem in Abraham fideli benedictus et justificatus ostenditur, sicut beatus Apostolus Paulus probat.*

Hanc tantam gloriam latroni fides præstitit. Fides enim est quæ peccata co-operit, quæ vincit crimina. Sicut ergo sufficit Judæ ad scelera deseruisse Christum; ita latroni sufficit ad innocentiam Domino credidisse. Non gloriabor quia justus sum, sed gloriabor quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vacuus peccati sum, sed quia mihi remissa sunt peccata. Non gloriabor quia profui, neque quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me Advocatus apud Patrem Christus est; sed quia pro me Christi sanguis effusus est. Merito dixit, ipsa quidem vox Jacob: "At manus, manus Esau." Et fortasse illud est, quia non operibus justificamur, sed fide, quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas sanctorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum. Quis nostrum sine divina potest subsistere miseratione? Quid possumus dignum præmiis facere cœlestibus? Quis nostrum ita assurgit in hoc corpore ut animum suum elevet quo jugiter adhæreat Christo? Quo tandem hominum merito defertur ut hæc corruptibilis caro induat incorruptionem? Et mortale hoc induat immortalitatem? Quibus laboribus, quibus injuriis possumus nostra levare peccata? Indignæ sunt passiones hujus temporis ad superventuram gloriam. Non ergo secundùm merita nostra, sed secundùm misericordiam

* Cyp. Test. lib. 3, c. 42, de Mort. sec. 2, Ep. 63.

Dei, cœlestium decretorum in homines forma procedit.*

"Omne os obstruitur, et obnoxius est omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram eo, nullaque distantia est personarum. Omnes enim peccaverunt et indigent gloriâ Dei, justificati gratis per gratiam ipsius." Sin autem scribit, "Existimamus fide justificari hominem sine operibus, siquidem unus est Deus qui justificat circumcisionem ex fide et præputium per fidem," manifeste ostendit non in hominis merito sed in Dei gratia esse justitiam, qui sine legis operibus credentium suscipit fidem. Quoniam autem in lege nemo justificatur quia nemo illam servat, ideo dictum est quod sola fide justificandi essent credentes. Tunc ergo justi sumus, quando nos peccatores fatemur: et justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia: dicente sancta Scriptura: "Justus accusator sui est in principio sermonis." Et in alio loco. "Dic tu peccata tua ut justificeris." Conclusit enim Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur. Et hæc hominis summa est justitia, quicquid potuerit habere virtutis, non suum putare esse, sed Domini qui largitus est. Quoniam autem in lege nemo justificatur, quia nemo illam servat, ideo dictum est quòd sola fide justificandi essent credentes.†

Cum rex justus sederit in thronó, quis gloriabitur castum se habere cor: aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Ut in ipso sacerdote ac sacrificio

* Amb. serm. 49, et de Jacob. lib. 1, c. 6, et in Ps. cxviii. octon. 20.

† Hieron. adv. Pelag. lib. 1, 2, et in Gal. 3.

fieret remissio peccatorum: id est, per Mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum: per quem factâ peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Gratia est ergo a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo, qua nobis peccata remittuntur, quibus adversabamur Deo. Pax vero ipsa, qua reconciliamur Deo. Cum enim per gratiam remissis peccatis absumtæ fuerint inimicitiæ, restat ut pace adhæreamus illi a quo nos sola peccata dirimebant. Sicut propheta dicit, "Non gravabit aurem ut non audiat, sed peccata vestra inter vos et Deum separant:" quibus remissis per fidem Domini nostri Jesu Christi, nulla separatione interveniente pax erit. Omnes qui ex Adam cum peccato peccatores; omnes qui per Christum, justificati, justi, non in se sed in illo. Nam in se si interroges Adam sunt; in illo si interroges Christi sunt. Ipse ergo peccatum ut nos justitia non nostra sed Dei, nec in nobis sed in ipso. Quare non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ Pauli et Jacobi, cum dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus, et alius dicit inanem esse fidem sine operibus. Quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de his quæ fidem sequuntur. Ideoque magis Abrahæ utitur [Jacobus] exemplo, vacuam esse fidem si non bene operetur, quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus Apostolus usus est, ut probaret, "Justificari hominem sine operibus legis." Cùm enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus fidem comitata sunt, satis ostendit Paulum apostolum non ita per Abraham docere justificari hominem per fidem sine operibus ut si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari; sed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum bonorum

operum arbitretur se pervenire ad donum justificationis quæ est in fide.

Quid est credere in Deum? credendo amare, credendo diligere, credendo in Deum ire, et in ejus membris incorporari. Missa sunt mihi a quibusdam fratribus laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis, scripta nonnulla, quæ ita distinguerent a bonis operibus Christianam fidem, ut sine hac non posse, sine illis autem posse perveniri suaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, in quo disputavi, non solum quemadmodum vivere debeant gratia Dei regenerati, verum etiam quales ad lavacrum regenerationis admitti. Iste curationis ordo est, ut baptizandi credant in Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum eo ritu quo Symbolum traditur; et a mortuis operibus agant pœnitentiam, omniumque se omnino præteritorum remissionem in Baptismo acceptures esse non dubitent: non ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat; ut sit factis remissio, non permissio faciendi. Tunc vero dici potest, etiam spiritualiter: "Ecce sanus factus es, jam noli peccare."*

De Operibus Bonis.

Hanc fidem qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt, quantum autem ad sententiam, et consuetudinem, et conversationem propter fidem perquam sapientissimi sunt et placent

* Aug. cont. Cres. lib. 3, c. 80, de Civ Dei, lib. 10, c. 22, in Joh trac. 3, de civ. lib. 19, ad Laur. c. 41, Quæst. lib. 80, in Joh. trac 29, Retrac. lib. 20, 38. Rom. iii. 24, 25, 26. Eph. ii. 8, 9. Rom. v. 1, 2.

Deo, conversantes in omni justitia, castitate, et sapientia.*

Post hoc dicimus: "Sanctificetur nomen tuum," non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris; sed quod petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterum a quo Deus sanctificetur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit sancti estote, quoniam et ego sanctus sum, id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus, et hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Quæ autem sit sanctificatio quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apostolus prædicat dicens: "Neque fornicarii, neque idolis servientes; neque adulteri, neque molles, neque masculorum appetiores, neque fures, neque fraudatores, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed justificati estis, sed sanctificatis in nomine Domini Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri." Hæc sanctificatio ut in nobis permaneat oramus: et quia Dominus et judex noster sancto a se et justificato comminatur jam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur.†

Cùm ergo dicit Apostolus arbitrari se justificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit ut percepta ac professa fide opera justitiæ contemnan-

* Iren. adv. Hær. lib. 3, c. 4. † Cyp. de Orat. Dom. sec. 6

tur. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ apostolicæ epistolæ Petri, Johannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer asserant fidem sine operibus nihil prodesse. Sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem quâ in Deum creditur, sed et eam salubrem plane, quam evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt. "Fides," inquit, "quæ per dilectionem operatur." Unde illam fidem quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat, "Si habeam omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeo, nihil sum." Ubi autem hæc fidelis charitas operatur, sine dubio bene vivitur, plenitudo enim legis charitas. Quis est qui non credit quòd Jesus est Christus? Quis non sic vivit quomodo præcepit Christus? Multi enim dicunt, *Credo*, sed fides sine operibus non salvat. Multa Deus facit in homine bona quæ non facit homo; nulla vero facit homo quæ non facit Deus ut faciat homo. Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas, de qua Johannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens, "Charitas ex Deo est?" Nec initium ejus ex nobis et perfectio ejus ex Deo, sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Nihil bonum sine summo bono. Fides sic est in anima ut radix bona, quæ pluviam in fructum ducit. Si se homo justificaverit, et de justitia sua præsumserit, cadit: si considerans et cogitans infirmitatem suam, et præsumens de misericordia Dei, neglexerit vitam suam mundare a peccatis suis, et se omni gurgite flagitiorum demerserit, et ipse cadit. Præsumptio de justitia quasi dextera est: cogitatio de impunitate peccatorum, quasi sinistra est. Audiamus

vocem Dei dicentem nobis, "ne declines in dexteram aut sinistram." Ne præsumas ad regnum de justitia tua: ne præsumas peccandum de misericordia Dei. Ab utroque te revocat præceptum divinum, et de illa altitudine, et ab ista profunditate: illuc si ascenderis, præcipitaberis: hac si lapsus fueris, demergeris. Crede non solum magna sed etiam minima bona non esse posse nisi ab illo, a quo sunt omnia bona, id est a Deo.*

Elevanda autem opera nostra sunt in Dei sancta, id est, in nudis vestiendis, in esurientibus cibandis, in sitientibus potandis, in afflictis consolandis, in oppressis adjuvandis, in omnibus diligendis. Hæc enim nos in hac corporis nostri infirmitate sanctificant, hæc Deo placent et sancta sunt.†

De operibus ante Justificationem.

Quemadmodum oleaster, si non percipiat insertionem, perseverat inutilis suo Domino per suam silvestrem qualitatem, et quasi infructuosum lignum excidi-tur et in ignem mittitur; sic et homo non assumens per fidem Spiritus insertionem, perseverat hoc esse quod erat ante, caro et sanguis Regnum Dei non possidens.‡

Istæ duæ arbores manifestissime in similitudine duorum hominum positæ sunt, id est, justi et injusti; quia nisi quisque voluntatem mutaverit, bonum ope-

*Aug. de Fid. et oper. c. 14, con. Pel. lib. 2, c. 8, 9, de Vit. In. c. 378, et in Ps. xxxi.

† Hilar. Enar. in Ps. cxxxiii. Jac. ii. 17, &c. 1 Joh. i. 7. Ps. cxliii. 2. Heb. xiii. 16, 21. Gal. v. 6. Mat. vii. 16.

‡ Iren. adv. Hær. lib. 5, c. 10.

ruri non potest; quod in nostra potestate esse positum alio loco docet, ubi ait, "Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum." Illis enim hoc dicit qui putabant se bona loqui cùm essent mali, hoc est, bonos fructus facere cùm essent arbores malæ. Sic enim et subjungit, "Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui cùm mali sitis?" Mala ergo arbor fructus bonos facere non potest; sed ex mala fieri bona potest, ut bonos fructus ferat. "Fuistis enim aliquando tenebræ," inquit Apostolus, "nunc autem lux in Domino." Tanquam si diceret, Fuistis aliquando arbores malæ, et ideo non poteratis tunc nisi malos fructus facere; nunc autem lux in Domino, id est, etiam facti estis arbores bonæ dare fructus bonos. Sunt quippe fideles isti, aut si fidem non habent Christi profectò nec justi sunt, nec Deo placent, cùm sine fide placere impossibile. Gentibus, inquis, nudum operuerit, numquid quia hoc est ex fide, peccatum est? Prorsus in quantum non est ex fide peccatum est: non quia per seipsam factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari solus impius negat esse peccatum. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide peccatum est. Noveris itaque quod non officiis, sed finibus, à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est, finis vero propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi; et non sunt bona quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt bona. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in

hominibus, a quo donantur hominibus; Deo serviunt in angelis a quo donantur et angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia percipit, etsi officio videatur bonum, ipse non recto fine peccatum est. Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono. Absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus: absit autem ut sit justus vere nisi vivat ex fide, "justus enim ex fide vivit." Quis porro eorum qui se Christianos se haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam forte tu solus, justum dixerit infidelem; justum dixerit impium; justum dixerit diabolo mancipatum? Sit licèt ille Fabricius; sit licèt Fabius; sit licèt Scipio; sit licèt Regulus; quorum me nominibus, tanquam in antiquâ Romanâ curiâ loqueremur, putasti esse terrendum. Ubi enim deest cognitio æternæ et incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus. Prius est mutandus homo ut opera mutentur. Si enim manet homo in eo quod malus est, bona opera habere non potest.*

De operibus Supererogationis.

In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit; in Evangelio cata Joannem: "Nemo potest quidquam accipere, nisi datum fuerit illi de cœlo." Quod nemo in opere suo extolli debeat; apud Solomonem in Ecclesiastico: "Nolite extollere in faciendo opere tuo."

* Aug. con. Adiman. c. 26, et con. Jul lib. 4, c. 3, et de vera Inno. c. 106, et de Verb. Dom. ser. 12. Rom. iii. 9, 10, 19, 20, 23; viii. 7, 8. Tit. iii. 5.

Item in Evangelio cata Lucam: "Quis vestrum habens servum arantem, aut pastorem, et venienti de agro dicit continuò, transi, recumbe? sed dicit illi, para aliquid quod cœnem, et accingere, et ministra mihi, donec manducem et bibam: et postea tu manducabis et bibes. Numquid habet gratiam servo illi, quia fecit quæ et imperata sunt? sic itaque et vos cum perfeceritis quæ vobis imperata sunt, dicite: servi supervacui sumus: quod habuimus facere, fecimus." *

"Unusquisque onus suum portabit." Videtur [Apostolus] superioribus contraire, ubi ait: "Alter alterius onera portate." Si enim onus suum unusquisque portabit, alter alterius onera portare non poterit. Sed videndum quod ibi præceperit ut peccantes in hac vita nos invicem sustentemus, et in præsenti sæculo alterutrum auxilio simus: Hic autem de Domini dicat in nos judicio, quod non ex alterius peccato, et comparatione deterioris, sed juxta nostrum opus aut peccatores ab eo judicemur, aut sancti, recipiente unoquoque secundùm opus suum. Obscurè licet docemur per hanc sententiolam novum dogma quod latitat, dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadjuvari. Cum autem ante Tribunal Christi, venerimus, non Job, non Daniel, non Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum. Quod si, Noe, Daniel, et Job pariter congregati, et in uno loco positi, peccatricem terram, hoc est, eos qui in terra peccatrice habitant, non possunt iræ Dei subtrahere: quid dicendum est de his, qui putant merito parentum atque virtutibus

* Cyp. Test. lib. 3, c. 4. 51

posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberare. Unde nec peccatorem filium justus pater poterit liberare, nec sanctæ conversationis mater impudicæ filiæ dabit præmia pudicitiæ.*

In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur; talis in illo judicabitur. Tunc cuique veniet dies ille cùm venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies. Quod de uno solo Mediatore Dei et hominum, homine Christo Jesu, catholica fides novit, quòd pro nobis mortem, hoc est peccati pœnam, sine peccato subire dignatus est. Sicut enim solus ideo factus est hominis Filius ut nos per illum Dei filii fieremus: ita solus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam. Postremò, etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis.†

Quibus [virginibus fatuis] responderunt [prudentes] non posse se dare, quia non sit forte quod omnibus satis fit. Alienis scilicet operibus ac meritis neminem adjuvandum; quia unicuique lampadi suæ emere oleum sit necesse.‡

* Hieron. Com. in Gal. vi. et in Ezec. xiv.

† Aug. Ep. 80, et con. Pel. duos ep. lib. 4. c. 4, et in Joh. Trac. 84.

‡ Hilar. in Mat. xxv. Luke xviii. 11, 12, 14; xvii. 10. Mat. xx. 9, 10. Rev. ii, 10.

De Christo qui solus est sine peccato.

Si quis secundum hoc alteram dicit Domini carnem a nostra carne, quoniam ista quidem non peccavit, neque inventus est dolus in anima ejus, nos autem peccatores, recte dicit.*

Sunt quædam delicta cotidianæ incursionis, quibus omnes sumus objecti. Cui enim non accidit aut irasci inique et ultra solis occasum, aut et manum immittere, aut facilè maledicere, aut temerè jurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundiâ aut necessitate mentiri? In negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu, quanta tentamur? Ut si nulla sit venia istorum, nemini salus competat.

In similitudine, inquit [Apostolus] carnis peccati fuisse Christum, non quod similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis, et non veritatem. Sed similitudinem peccatricis carnis vult intelligi; quod ipsa non peccatrix caro Christi ejus fuit par, cujus erat peccatum, genere non vitio, Adæ; quando hinc etiam confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cujus natura est in homine peccatrix: et sic in illa peccatum evacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato non habebatur.†

Neminem sine sorde et sine peccato esse apud Job: "Quis enim mundus a sordibus? nec unus, etiam si unius diei sit vita ejus in terra." Item in Psalmo 50. "Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis concepit me mater mea." Item in epistola Joannis: "si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos de

* Iren. Hær. lib. 5, c. 14.

† Tertul. de Pud. c. 19, et de carn. Ch. c. 16.

cipimus, et veritas in nobis non est." Quam necessariè autem, quam providenter, et salutariter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, et dum indulgentia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, cum innocens nemo sit, et se extollendo plus pereat; instruitur et docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.*

Non fortasse sine causa cùm aliquoties in Scripturis inveniatur, homines dictos esse sine querela, non invenitur qui sit dictus sine peccato, nisi unus solus de quo apertè dictum est, "eum qui non noverat peccatum." Utrùm qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, habiturusve sit, non solùm quisquam natorum hominum sit, verùm etiam potuerit aliquando esse vel possit? Hunc prorsus præter unum Mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, nullum esse, vel fuisse, vel futurum esse, certissimum est. Ideo si vera illa sunt quæ tam multa de parvulis diximus, nec est in filiis hominum quisquam, nec fuit, nec erit (sine peccato) excepto uno Mediatore, in quo nobis propitiatio et justificatio posita est, per quem, finitis inimicitiis peccatorum, reconciliamur Deo. Lectis opusculis quæ ad te nuper elaboravi, fili charissime Marcelline, de baptismo parvulorum et de perfectione justitiæ hominis quòd eam nemo in hac vita vel assecutus, vel assecuturus videatur, excepto uno Mediatore, qui humana perpessus est, in similitudine carnis peccati, sine ullo omnino peccato. Desinant Pelagiani quinque istarum rerum invidiosissimis laudibus, id est laude creaturæ,

* Cyp. Test. lib. 3, c. 54, et Orat. Dom. 14.

laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude sanctorum, quasi Manichæorum tendiculis fingere, se homines velle eruere, ut possint eos suis retibus implicare, id est; ut negent originale peccatum, et parvulis invideant Christi medici auxilium, et ut dicant, gratiam Dei secundum merita nostra dari, ac sic gratia non sit gratia; et ut dicant, sanctos in hac vita non habuisse peccatum, ac si evacuetur oratio, quam sanctis tradidit, qui non habebat peccatum, et per quem sanctis orantibus dimittitur omne peccatum. Corpus Christi quamvis ex carne feminæ assumptum est, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerit, tamen quia non sic in ea conceptum est quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.*

De peccato post Baptismum.

Timor Domini initium intelligentiæ: intellectus vero transgressionis fecit pœnitentiam: pœnitentibus autem benignitatem suam largitur Deus.†

Miror quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam cum scriptum sit; "Memento unde cecideris, et age pœnitentiam, et fac priora opera." Quod utique ei dicitur, quem constat cecidisse;

* Aug. de nat. et grat. c. 4, et de pec. merit. lib. 2, c. 20. et de Spir. et Lit. c. 1, et de Gen. lib. 10, c. 18. Vide etiam. Amb. in Ps. cxviii. Hil. in Ps. lviii. item Hieron. adCtes. col. 907 Heb. ii. 14; iv. 15. Jh. xiv. 30. 1 Pet. ii. 22. Joh. i. 29. Heb. ix. 14. 1 Joh. iii. 5. Jac. iii. 2. 1 Joh. i. 8.

† Iren. adv. Hær. lib. 3, c. 37.

et quem Dominus exhortatur per opera rursus exsurgere, quia scriptum est: "Eleemosyna a morte liberat;" et non utique ab illa morte quam semel Christi sanguis extinxit, et a qua nos salutaris Baptismi, et Redemptoris nostri gratia liberavit, sed ab ea quæ per delicta postmodum serpit. Alio item loco [Rev. ii. 19, 22] pœnitentiæ tempus datur, et pœnitentiam non agenti Dominus comminatur. Et in Evangelio: "Dico, inquit, vobis, sic erit gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente." Dominus quoque in Evangelio pietatem Dei Patris ostendens, ait; "Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, lapidem porriget illi? Aut si piscem postulaverit, serpentem porriget illi? Si ergo vos, cum sitis nequam, scitis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit bona poscentibus se?" Comparat hic Dominus carnalem patrem et Dei Patris æternam, largamque pietatem. Quod si iste in terris nequam pater, offensus graviter a filio peccatore et malo, si tamen eumdem postmodum viderit reformatum, et gaudet et gratulatur; et susceptum quem ante projecerat, amplectitur: quanto magis unus ille et verus Pater bonus, misericors et pius, immo ipsa bonitas, et misericordia, et pietas, lætatur in pœnitentia filiorum suorum; nec iram pœnitentibus, aut plangentibus et lamentantibus pœnam comminatur, sed veniam magis, et indulgentiam pollicetur?*

Sed aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem, reservent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam ei cujus vo-

* Cyp. Ep. 55, ad Ant.

hunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: "Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum detinueritis, detenta erunt:" quis est qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget, et relaxet. Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest utrum per pœnitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi datum sacerdotes vendicent? Unum in utrumque mysterium est. Perlatum est ad nos, etiam illud vos objicere solere, quod dicatis scriptum esse: "Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur." Quo exemplo omnis assertio vestra destruitur et absolvitur. Scriptum est enim: "Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus:" cur igitur non remittitis? Remittite cæteris, et agite de iis quos peccantes in Spiritum Sanctum Evangelica auctoritate in perpetuum adstringi putatis, et tamen quos adstringat, consideremus. De iis utique expressum videmus, qui Dominum Jesum in Beelzebud ejicere dæmonia loquebantur. Et ut cognosceremus quia de hac dixit blasphemia adjunxit: "Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali." Hos ergo qui hæc loquuntur, negat ad veniam pertinere.*

Verum de remissione peccatorum sufficere deberet

* Amb. de Pœnit. lib. 1, c. 2, lib. 2, c. 4. Vide etiam Hier. ep 149.

sola credulitas. Quis enim causas aut rationem requirat, ubi indulgentia principalis est? Et tamen cum terreni regis liberalitas discussioni non sit obnoxia, ab humana temeritate discutitur divina largitio? Solent enim cum irrisione dicere adversum nos pagani, quod ipsi nos decipiamus, qui putamus crimina, quæ opere commissa sunt, verbis posse purgari; et aiunt: Numquid potest qui homicidium commisit, homicida non esse? Quomodo hujuscemodi criminum reus, sanctus nobis effici subito videtur et purus? Sed ad hæc, melius fide quam ratione respondeo. Rex enim est omnium qui promisit, terræ cœlique Dominus est qui hæc pollicetur. Et tamen veniamus ad ipsius naturæ testimonium. Occidere hominem non semper criminosum est, sed malitia non legibus occidere criminosum est. Non ergo factum me in talibus, quia interdum et recte fit, sed animus male consulens damnat. Si ergo animus in me, qui criminosus effectus est et in quo origo fuit vitii corrigatur; cur tibi non videar posse innocens effici, qui prius fueram criminosus? Si enim constat quod non in facto, sed in voluntate sit crimen, sicut mala voluntas, auctore malo dæmone, peccato me et morti fecit obnoxium; ita in bonum voluntas mutata auctore bono Deo, innocentiæ me reddit et vitæ. Similis causa et in ceteris criminibus. Et hoc modo fides nostra non invenitur naturalibus rationibus adversari; dum remissio peccatorum non gestis quæ mutari non possunt, sed animo quem de malo in bonum verti posse certum est deputatur.*

Eos qui jam baptizati fuerint, curari melius dici-

* Ruf. in Symb

mus per pœnitentiam, non renovari: quia renovatio in Baptismo est, ubi quidem operatur pœnitentia, sed tanquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari ædificium potest: si autem fundamentum iterare quis voluerit, totum ædificium subvertat necesse est. Propterea hoc dicit Hæbræis, qui ex novo testamento ad Sacerdotium vetus declinasse videbantur: "Ideoque remittentes", inquit, "initio Christi verbum, in consummationem respiciamus, non iterum jacientes fundamentum pœnitentiæ a mortuis operibus, et fidei in Deum, lavacri doctrinæ, impositionis manus, resurrectionis etiam mortuorum, et judicii æterni." Ista omnia in Baptismo traduntur, quæ negat esse repetenda, utique in consecrandis fidelibus. Si enim sola ignorantia veniam meretur, et ignorantia non accipitur nisi antequam quisquam fuerit baptizatus, non solum si adversus Spiritum Sanctum; sed etiam si adversus Filium hominis post baptismum dixerit verbum, et omnino si quâ fornicatione, vel homicidio, vel ullo flagitio aut facinore, post baptismum sese maculaverit, non potest pœnitendo curari. Quod qui senserunt, exclusi sunt a communione catholicâ, satisque judicatum est eos in illa crudelitate divinæ misericordiæ participes esse non posse. Excepto baptismatis munere hac excepta magna indulgentia, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus, ipsa etiam vita cætera jam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fecunditate justitiæ, sine remissione non agitur, quoniam filii Dei, quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Dilectionem autem proximi, id est dilectionem hominis usque ad inimici dilectionem, nobis Dominus ipse commendat; et videmus quam multi jam

baptizati vera esse ista fateantur, et tanquam Domini præcepta venerentur. Cùm autem perpessi fuerint alicujus inimicitias rapiuntur ad ulsciscendum. Et talibus jam baptizatis ecclesiæ plenæ sunt, quos tamen spirituales viri fraternè admonere non cessant, ut hujusmodi tentationibus resistere parati sint. Quod inaniter fieret si talium peccatorum nulla spes veniæ, nulla pœnitentiæ medicina remaneret.*

De Prædestinatione et Electione.

Qui igitur abstiterunt a paterno lumine, et transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrii, et suæ potestatis facti. Deus autem omnia præsciens utrisque aptas præparavit habitationes eis quidem, qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, et ad id recurrunt, benigne donans hoc, quod concupiscunt, lumen: aliis vero id contemnentibus, et avertentibus se ab eo, et id fugientibus, et quasi semetipsos excæcantibus, congruentes lumini adversantibus præparavit tenebras, et his, qui fugiunt ei esse subjecti, convenientem subdidit pœnam.†

Quomodo ergo facta sunt, quæ futura sunt, nisi, quia operatoria virtus et scientia comprehendit numerum omnium sæculorum? Sicut enim vocat quæ non sunt, tanquam quæ sint: sic et fecit quæ futura sint, tanquam quæ sint; quia non contingit ut non sint;

* Aug. Expos. in Rom. incho. et Enchir. c. 44. Marc. iii. 28. Gal. vi. 1. Rom. xi. 20. Luc. xxii. 32. 1 Joh. i. 10. 2 Cor. ii. 7, 8.

† Iren. adv. Hær. lib. 4, c. 76.

sed necessario sunt futura, quæ esse præcepit. Ergo qui fecit quæ futura sunt, eo genere, quo sunt futura cognovit. Quàm bonus Deus Israel rectis corde. Non ergo omnibus bonus est Deus? Ille quidem omnibus bonus est, quia salvator est omnium, maximè fidelium. Et ideo venit Dominus Deus, ut salvum faceret, quod perierat. Venit enim, ut peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt, ne medicamentis compungatur vis ulceris, ideo volentes curat, non adstringit invitos. Pulchre autem Apostolus explanavit, quia et omnibus bonus est Deus, qui vult, omnes homines salvos fieri; et maximè fidelibus divinæ pietatis prærogativa servatur, quibus et voluntas Dei opitulatur, et gratia.*

Quod si prudens lector tacita cogitatione responderit, quare multi non sunt salvati, si ipse salvavit eos, et dilexit, et pepercit filiis suis, et redemit eos sanguine suo, suscepitque, et exaltavit assumptos? Infertur causa perspicua: Ipsi autem non crediderunt, et exacerbaverunt Spiritum Sanctum ejus. Voluit itaque Deus salvari cupientes, et provocavit ad salutem, ut voluntas haberet præmium; sed illi credere noluerunt. Nec statim in culpa est, si plures credere noluerunt, sed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent, et salvarentur. Vult ea, quæcumque sunt plena rationis, atque consilii. Vult, salvari omnes, et in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus absque propria voluntate salvatur; (liberi enim arbitrii sumus) vult, nos

* Amb. de Fide. lib. 1, c. 7, et in Enrat. Ps. lxxii.

bonum velle, ut cùm voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium.*

Non consequens, ut si Deo certus est ordo omnium causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est, et Deo ejusque præscientia continetur; quoniam et humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita omnes qui rerum causas præscivit, profecto in eis causis etiam voluntates nostras ignorare non potuit, quas nostrarum operum causas esse præscivit detestanda et abominanda opinio est, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem; cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est. Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit. Vult Deus, omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes justissimè judicentur. Nimiæ igitur contentionis est prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare; quæ tamen non ita populis prædicanda est, ut apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipsa suâ prædicatione videatur. Sicut redargui videtur et præscientia Dei, quam certè negare non possunt, si dicatur hominibus, sive curratis sive dormiatis, quod vos præscivit, qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi autem vel imperiti medici est utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit aut obsit.

† Hier. in c. vi. Is. et in c. i. Eph.

Sed dicendum est, "Sic currite, ut comprehendatis," atque in ipso cursu vestro ita vos esse præcognitos noveritis ut legitime curratis; et si quo alio modo Dei præscientia prædicari potest, ut hominis segnitia repellatur.*

Itaque non res indiscreti judicii electio est; sed est meriti delectu facta discretio est. Beatus ergo, quem elegit Deus. Beatus ob id, quia electione sit dignus. Scire autem nos convenit, hic beatus in quam rem fuerit electus, scilicet ad id, quod sequitur. Inhabitabit in tabernaculis tuis. Omnis perfectio bonorum, in habitationis cœlestis est requie.†

De Speranda Æterna Salute tantum in Nomine Christi.

Sed si generis Christus humani (inquitis) conservator advenit, cur omnino non omnes æquali munificentia liberat? non æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat? aut ab indulgentia principali quenquam repellit, aut respuit, qui sublimibus, infirmis, servis, feminis, pueris, uniformiter potestatem veniendi ad se facit? Pater inquit, omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur, aut pellitur. Si tibi fastidium tantum est, ut oblati respuas beneficium muneris; quinimmo si tantum sapientia prævales, ut ea, quæ offeruntur a Christo, ludicra, atque ineptias, nemines; quid invitans expectat, cujus solæ sunt hæ

* Aug. de grat. lib. 1, c. 3, et de pec. mer. lib. 2, c. 19, et de bono persev. c. 21.

† Hil. Ps. lxiv. Eph. i. 4, 5. Mat. xxv. 34. 2 Tim. i. 9. 1 Pet. i. 2. Rom. viii. 29, 30. Gal. iv. 5. Eph. i. 11; ii. 10. 1 Pet. i. 3, 4. Joh. iii. 16. 1 Tim. ii. 4, 6. Luc. x. 25, 28.

partes; ut sub tui juris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat.*

Non posse ad Patrem perveniri, nisi per filium ejus Jesum Christum. In evangelio cata Joannem: "Ego sum via, veritas et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me." Item illic: "Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur." Item in actibus Apostolorum: "Hic est lapis, qui contemtus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli. Non est enim nomen aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oportet salvari nos." †

Veniant ad hunc omnes, qui sanari volunt; accipiant medicamentum, quod et a Patre detulit, et præparavit in cœlo ex illis confectum immortalibus succis. Ideo omnibus opem sanitatis detulit, ut quicunque perierit, mortis suæ caussas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset evadere. Inveni medicum qui in cœlo habitat, et in terris spargit medicamenta. Hic solus potest sanare vulnera mea, qui sua nescit. Pretium nostræ liberationis erat sanguis Domini Jesu, quod necessario solvendum erat ei, cui peccatis nostris venditi eramus. Donec igitur hoc pretium pro omnibus solveretur hominibus, quod Dominici sanguinis effusione pro omnium fuit solvendum absolutione, opus fuit singulorum sanguine; qui lege, et consuetudinis ritu sacræ præcepta sequeretur religionis. Sed quia pretium pro omnibus solutum est, posteaquam passus est Christus Dominus, jam non opus est, ut viritim sanguis singulorum circumcisione fundatur: cum in sanguine Christi circum-

* Arnob. adv. Gent. lib. 2. † Cyp Test. lib. 3, c. 20, 24.

cisio universorum celebrata sit, et in illius cruce omnes simul crucifixi simus in eo.*

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: si sunt adhuc in sæculo quorum Christus peccata non tulerit. Aut enim ostendendi sunt non esse de mundo, quos Christi ignoret indulgentia: aut si de mundo sunt, eligendum e duobus alterum. Liberati a peccatis Christi potentiam probant: non liberati, quasi adhuc rei, imbecillitatem demonstrant.†

Quod ab illis cœptum, necesse est ut in omnes ejusdem criminis par fiat: et tunc humano generi exprobret non pœnitenti, neque in viam evangelicam pergenti, id quod in Psalmo continetur: "Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem." Exprobrat enim superbis, atque maledictis, cur nihil in sacramento sanguinis sui, atque mortis, utilitatis, sum esse existimarunt, cùm ille nostri causa et natus, et passus, et mortuus sit. Qui enim non manebit in Christo, regni Christi incola non erit. Non erit autem, non quod sibi non patuerit incolatus (universis enim patet, ut consortes sint corporis Dei, atque regni; quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, naturam scilicet, in se totius humani generis assumens,) sed unusquisque pro merito et evellendam se de tabernaculo, et eradicandum de terra viventium præbet, non prohibitus unquam in esse, qui per naturæ assumptionem incola sit receptus. Sed eradicatur ob infidelitatis crimen, naturæ consortio indignus existens.‡

* Amb. de fide lib. 2, c 4, et de Abel et Cain, lib. 2; et in Luc. lib. 5, col. 80, et in Levit.

† Hieron. ep. 83.

‡ Hilar. ad Ps. cxviii. 51.

Sed illud, quod dictum est, "Omnes in Christo vivificabuntur;" cum tam multi æterna morte premuntur, ideo dictum est, quia omnes, quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo. Vere illa magna et vera beatitudo est, quæ in futuro sæculo sanctis promittitur. Omnia vero visibilia transeunt, et omnis hujus sæculi pompa, et delicias, et curiositas interibunt, et secum ad interitum trahunt amatores suos. A quo interitu, hoc est, pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistant misericordiæ creatoris sui, misit Unigenitum filium suum; hoc est verbum suum. Ipsum audiamus, "Ego sum veritas et via et vita." Si veritatem quæris, viam tene, nam ipse est via quæ est veritas. Ipsa est quò is, ipsa est quâ is. Non per aliud is ad illud, non per aliud venis ad Christum. Per Christum ad Christum venis. Quomodo per Christum ad Christum? Per Christum hominem ad Christum Deum. Per Verbum caro factum, ad Verbum quod in principio erat Deus apud Deum. Ab eo quod manducavit homo, ad illud quod quotidie manducant angeli. Quid autem opus erat ut diceret, "Ego sum via, et veritas, et vita," cùm via cognita quâ iret, restaret nôsse quò iret, nisi quia ibat ad veritatem, ibat ad vitam? Ibat ergo per seipsum, ad seipsum. Et nos quò imus nisi ad ipsum? Et quâ imus nisi per ipsum? Per nullam artem aliam salvari vos credatis, nisi per invocationem et crucem Christi.*

* Aug. ep. 107, et de catech. rud. c, 26, et in Joh. tr. 13, 69, et de rec. conver. Joh. xiv. 6. Acts iv.12. 1 Joh. v. 11, 12.

DE ECCLESIA VISIBILI.

De ejus Unitate.

Apostoli consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes et eloquium, primò per Judæam contestati fide in Jesum Christum, et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ, cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt et quotidie mutuantur ut ecclesiæ fiant. Ac per hoc et ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. Itaque tot ac tantæ ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ et omnes Apostolicæ dum una omnes, probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis; quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem sacramenti una traditio. Una nobis et illis fides, unus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem lavacri sacramenta, semel dixerim, una ecclesia sumus. Corpus sumus de conscientia religionis et disciplinæ unitate et spei fœdere.*

Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum, Spiritus Sanctus, ex persona Domini, designat, et dicit: "Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genetrici suæ." Hanc Ecclesiæ

* Tertul. de Præscrip, c. 20, de virg. veland. c. 2, et Apol. c. 39.

unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quo modo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic et ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit. Unum tamen caput est, et origo una, et una mater, fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur. Nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit ecclesiam Christi. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Qui alibi præter Ecclesiam, colligit, Christi Ecclesiam spargit.*

Omnes nos Christi et Ecclesiæ membra sumus; qui ergo de Ecclesia recesserit, Christi corpus lacerat. "Hæc est generatio quærentium Dominum." Superius singulariter dixit, "Hic accipiet benedictionem;" modo pluraliter; quia ecclesia ex pluribus personis congregatur, et tamen una dicitur propter unitatem fidei. Inter hæresin et schisma hoc esse arbitror, quod

* Cyp. de Unit. Ec.

hæresis perversum dogma habeat; schisma post episcopalem discessionem ab ecclesia pariter separetur. Quod equidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversum. Cæterum nullum schisma est, nisi sibi aliquam hæresin confingat, ut recte ab ecclesia recessisse videatur.*

Quæ via, ipsæ et viæ: quemadmodum quæ ecclesia, ipsæ ecclesiæ: et quod cœlum, et ipsi cœli. Pluraliter dicuntur, et singulariter dicuntur, propter unitatem ecclesiæ, una ecclesia; una est columba mea una est matris suæ: propter congregationes fraternas per loca multæ sunt ecclesiæ. 'Ecclesiæ,' inquit, 'Judæ, quæ erant in Christo, gaudebant quod ille qui nos persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat, et in me glorificabant Deum.' Ecclesias sic dixit. Et unam Ecclesiam sic dicit; sine offensione estote Judæis et Græcis, et Ecclesiæ Dei. Anima tua non vivificat nisi membra quæ sunt in carne tua, unum si tollas, jam non vivificatur ex anima tua, quia unitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur ut amemus unitatem et timeamus separationem; nihil sic enim debet formidare Christianus, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi non est membrum ejus: si non est membrum ejus, non vegetatur spiritu ejus.†

Catholica et Continens Peccatores.

Nec sé quidam vana interpretatione decipiant, quod

* Hier. in Ose. c. 9, Ps. xxiii. 11, et apud Grat. ques. 3.

† Aug. in Ps. cxli. et in evang. Joh. tr. 27, Cant. 6, 9. Joh. xvii. 11, 21, 23. Eph. i. 22. Col. i. 18.

dixerit Dominus: "Ubicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, Ego cum eis sum." Dominus enim cum discipulis suis unanimitatem suaderet et pacem: ostendens non multitudini, sed unanimitati deprecantium plurimum tribui. Quo modo autem potest ei cum aliquo convenire; cui cum corpore ipsius Ecclesiæ et cum universa fraternitate non convenit? Quis est sceleratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus; ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei? vestem Domini? Ecclesiam Christi? Monet ipse in Evangelio suo. "Et erit unus grex et unus pastor." Sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege contineat, quam ut agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo una edatur. Caro Christi et sanctum Domini ejici foras non potest, nec alia ulla credentibus præter unam Ecclesiam domus est.*

Ipsa est enim Ecclesia catholica: unde καθολικὴ Græce appellatur, quod per totam orbem diffunditur. Ecclesia illa est quam modo dixi unicam suam; hæc est unica catholica quæ toto orbe copiose diffunditur quæ usque ad ultimas gentes crescendo porrigitur. Teneamus ergo ecclesiam ex ore Domini designatam, unde cœptura, et quousque perventura esset; cœptura scilicet ab Hierusalem et perventura in omnes gentes. Si autem dubitas quod ecclesiam, quæ per omnes gentes numerositate copiosa dilatatur, Sancta Scriptura commendat, multis et manifestissimis testimoniis ex eadem auctoritate prolatis onerabo.†

* Cyp. de Unit. Ec. 7, 11.

† Aug. Ep. 170, 30, cont. Cres. lib. 1, c. 33, et de Unit. c. 10

Nam etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est ut frumentum esse possimus, ut cum cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro et labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit: "In domo autem magnâ non solum vasa sunt aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia et quædam quidem honorata, quædam vero inhonorata." Nos operam demus, et quantum possumus, laboremus, ut vas aureum, vel argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere, Domino soli concessum est, cui et virga ferrea data est.*

Arca Noe, Ecclesiæ typus fuit. Ut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt. Ut ibi pardus et hædi, lupus et agni: ita et hic justi et peccatores id est vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur.†

Si enim propterea retibus bonos et malos congregantibus Ecclesiam comparavit, quia malos in Ecclesia non manifestos sed latentes intelligi voluit, quos ita nesciunt sacerdotes, quemadmodum sub fluctibus quid acceperint retia nesciunt piscatores; propterea ergo et areæ comparata est, ut etiam manifesti mali cum bonis in ea prænunciarentur futuri. Ecce manifestum est quod dicebatur a nobis distinguenda esse tempora Ecclesiæ: non jam nunc esse talem qualis post resurrectionem futura est; nunc malos habere permixtos,

* Cyp. ep. 51. † Hier. dial. con. Lucif.

tunc omnino non habituram; ad illam ejus puritatem, non ad hujus temporis permixtionem illa divina testimonia pertinere, quibus eam Dominus prædixit ab omni malorum permixtione penitus alienam.*

De Successione in Ea Fidei ac Pastorum.

Eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero qui absistunt a principali successione, et quocumque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos et malæ sententiæ vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes. Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: cum Apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis: uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hic est enim vitæ introitus: omnes autem reliqui fures sunt et latrones: propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem. In Ecclesia posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores, et universam reliquam operationem Spiritus, cujus non sunt participes omnes qui non concurrunt ad Ecclesiam: sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam. Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et

* Aug. con. Don. c. 10, 9. Ps. ii. 8. Mat. xxviii. 19. Eph. ii. 19, 20, 21. Mat. xiii. 24, 27; iii. 12.

218892

ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia: spiritus autem veritas.*

Age nunc, omnes Ecclesiæ erraverint, nullam reapexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus a Patre, ut esset Doctor veritatis: neglexerit officium Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat: ecquid verisimile est ut tot et tantæ in unam fidem erraverint? Quoquo modò sit erratum; tamdiu utique hæreses non erant.†

Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesiâ esse, et Ecclesiam in Episcopo: et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse; et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata. An esse sibi cum Christo videtur, qui adversus sacerdotes Christi facit? Qui se a Cleri ejus, et plebis societate secernit? Arma illè contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat, hostis altaris, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, contemptis episcopis et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare.‡

*Iren. lib. 4, c. 4, 40, 43.

†Tert. de Præscrip. c. 28, 29. ‡Cypr. Ep. 69, et de Unit

Sola Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei: quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exierit, a spe vitæ ac salutis æternæ alienus est.*

Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: ut, quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat. Acutum aliquid videris dicere, cum catholicæ nomen non ex orbis totius communione interpretaris, sed ex observatione præceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum: quasi nos etiam, si forte hinc sit appellata catholica, quod totum veraciter teneat, cujus veritatis nonnullæ particulæ etiam in diversis inveniuntur hæresibus, hujus nominis testimonio nitamur ad demonstrandam Ecclesiam in omnibus gentibus, et non promissis Dei et tam multis tamque manifestis oraculis ipsius veritatis. Ego in Ecclesiâ sum, cujus membra sunt illæ omnes Ecclesiæ, quas laboribus Apostolorum natas atque firmatas simul in literis canonicis novimus. Earum communionem, quantum me adjuvat Dominus, sive in Africa, sive ubicumque, non deseram. Nequaquam a vivis in ejusdem Ecclesiæ sancta unitate manentibus, propter mortuos alienabor. Attendite ergo, charissimi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem et Ecclesiam Matrem.†

* Lact. lib. 4, c. 30.

† Aug. cont. Creso. lib. 1, et Vincen. Ep. 48.

Ego illud te breviter admonendum puto, traditiones ecclesiasticas (præsertim quæ Fidei non officiant) ita observandas, ut a majoribus traditæ sunt: nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subverti. Sed unaquæque provincia abundet in suo sensu, et præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.*

Interminabilis est ista contentio generans lites, non finiens quæstiones. Sit ergo una fides, universæ quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ, tanquam intus in membris, etiam si ipsa unitas Fidei diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum est impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecus; illæ autem observationes, quæ varie celebrantur, in ejus veste intelliguntur. Unde ibi dicitur, in fimbriis aureis circumamicta varietate. Sed ea quoque vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur. Alia sunt de quibus inter se aliquando doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salva Fidei compage, non consonant.†

DE MINISTRIS IN ECCLESIA.

Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Et-

* Hier. ad Lucin. Ep. 28.

† Aug. Ep. 86, et con. Julian. Mat. xvi. 18. J[illegible] xxviii. 20. Eph. iv. 11.

enim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde etiam perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes. Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo, præter quam oportet colligunt.*

Cæterum si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines ecclesiarum suarum: evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit authorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert: sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit. Perinde utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Ordinationes eorum temerariæ, leves, incon-

* Iren. adv. Hæres. lib. 3, c. 3.

stantes: nunc neophitos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros; ut gloriâ eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras lector: hodie Presbyter qui cras laicus. Nam et laicis, sacerdotalia munera injungunt. Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus: Dehinc Presbyteri et Diaconi: non tamen sine Episcopi auctoritate, propter ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est: quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest: nisi Episcopi jam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur discentes.*

Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo: et si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse; et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, sed sit utique connexa, et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata. Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur. Episcopatus unus, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit,

* Tert. de Præscrip. c. 32, 41, et de Bap. c. 17, etiam vide de Fuga. c. 11.

aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suas adigit; quando habeat omnis Episcopus, pro licentia libertatis et potestatis suæ, arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare. Dominus noster, cujus præcepta metuere et observare debemus, Episcopi honorem, et ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro: "Ego tibi dico quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam, et tibi dabo claves regni cœlorum; et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis; et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis." Inde per temporum et successionum vices, episcoporum ordinatio et ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse; quando ecclesia in episcopo et clero, et omnibus stantibus sit constituta. Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Dei, quando aliqui de presbyteris nec evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium, neque nunc sibi præpositum episcopum cogitantes, quod nunquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia et contemptu Præpositi totum sibi vindicent. Diligenter de traditione divina et apostolica observatione observandum est, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe præ-

sente. Quod secundum divina magisteria, observatur in Actis Apostolorum; quando de ordinando in locum Judæ episcopo Petrus ad plebem loquitur. "Surrexit," inquit, "Petrus in medio discentium: fuit autem turba in uno." Nec hoc in episcoporum tantùm et sacerdotum, sed in Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus. Hilarius cum Diaconus de Ecclesia recesserit, solusque ut putat turba sit mundi; neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos et Presbyteros non habens. Addimus plane, et adjungimus, consensu et auctoritate communi, ut etiam si qui Presbyteri, aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius ordinati fuerint, et postmodum perfidi ac rebelles contra ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a pseudoepiscopis et antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, et contra altare unum atque divinum sacrificia foris falsa et sacrilega offerre conati sunt, eos quoque hac conditione suscipi cum reverturtur, ut communicent Laici; et satis habeant quòd admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterint.*

Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Ministros et turbam Fidelium. Dicite cui generi hominum in Ecclesia nostra hoc possit adscribi, quod objicere voluisti? Specialiter nomina aliquem ministrum, ostende aliquem Diaconum nomine suo. Indica hoc ab aliquo factum esse Presbytero. Proba hoc Episcopos admisisse. Extendistis enim manum, et super omne caput mortifera velamina prætendistis: ut, cùm sint quatuor genera

* Cyp. ep. 69, de Unit. Ec. ep. ad Quint. ep. 57, 55, 68 et 62.

capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, et Fidelium; nec uni parcere voluistis. Invenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos, fecistis Laicos. Diaconos in tertio, Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos. Ipsi apices et principes omnium aliqui episcopi illis temporibus.*

Et ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de Veteri Testamento; quod Aaron et filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri et Diaconi vindicant in ecclesia. In Veteri Testamento et in Novo alium ordinem Pontifex tenet, alium sacerdotes, alium Levitæ. Ecclesiæ salus, in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam, et ab hominibus eminens detur potestas, tot erunt in ecclesia schismata, quot sacerdotes. Inde venit ut sine chrismate et episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi. Si quæramus quare in ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum Sanctum: disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent: Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Engubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis; ejusdem meriti, ejusdem et sacerdotii. Potentia divitiarum, et paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Episcopus, et Presbyter, et Diaconus, non sunt meritorum nomina, sed officiorum. Ecclesia multis gradibus consistens, ad

* Optat. Milev. cont. Parmen. lib. 2, 1

extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur. Esto subjectus pontifici tuo, et quasi animæ parentem suscipe. Quod Aaron et filios ejus, hoc Episcopum et Presbyteros esse noverimus: Unus Dominus, unum templum, unum sit etiam ministerium. Sciant quæ Diaconi constituti sunt. Legant Acta Apostolorum, recordentur conditionis suæ. Qui provehitur, de minori ad majus provehitur. Aut igitur ex Presbytero ordinetur Diaconus, ut Presbyter minor Diacono comprobetur, in quem crescit ex parvo: aut, si ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit se lucris minorem, sacerdotio esse majorem. Diaconos post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui et Ecclesiæ ministros.*

Quis dat Episcopalem gratiam? Deus an homo? Respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manum; Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram; et Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, et Deus tribuit dignitatem.†

"Pro patribus tuis nati sunt tibi filii." Genuerunt te Apostoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicaverunt, ipsi patres. Sed numquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? Ergo illorum abscessu deserta est ecclesia? Absit. "Pro patribus tuis nati sunt tibi filii." Patres missi sunt Apostoli; pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum inde nati sunt.

* Hieron. adv. Lucif. adv. Jovin. c. 19, ep. ad Evag. 54, 85, et in Act. xx.

† Amb. de Sacer. dig. c. 5.

Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsos illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. "Et vidi sedes, et sedentes super eas; et judicium datum." Non hoc, putandum est, de ultimo judicio dici; sed per sedentes super sedes ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos nunc Ecclesia gubernatur. Judicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id, quod dictum est. "Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo." Memento sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint. Dico melius per bonum ministrum quam per malum dispensari sacramenta divina: verum hoc propter ipsum ministrum melius est, ut eis rebus quas ministrat vita et moribus congruat, non propter illum qui, etiamsi incurrerit in ministrum malum dispensantem veritatem, securitatem accipit a Domino suo monente ac dicente, "Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim et non faciunt." Certus enim est sanctum esse sacramentum Christi, etiamsi per minus sanctum vel non sanctum hominem ministratum est. Quis dicat Baptismum Christi, quod tales haberent vel darent, eorum iniquitatibus fuisse violatum? Nihil interest ad integritatem baptismi quanto pejor id tradat: neque enim tantum interest inter malum et pejorem, quantum interest inter bonum et malum; et tamen cum baptizat malus, non aliud dat quam bonus. Potest Christus esse caput Christiani per Felicianum, sed melius per Primianum. In sacra-

mento suo divina virtus assistit, sive ad salutem benè utentium, sive ad perniciem male utentium.*

DE SACRAMENTIS.

In nullum nomen religionis seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Sacramenta novæ legis dant salutem, "Percussum est enim latus ejus," ut evangelium loquitur, "et statim manavit sanguis et aqua," quæ sunt ecclesiæ gemina sacramenta; aqua in qua est sponsa purificata, sanguis ex quo invenitur esse dotata. Dormit Adam ut fiat Eva, moritur Christus ut fiat Ecclesia: Dormienti Adæ fit Eva de latere, mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant sacramenta quibus formatur Ecclesia. Hoc tempore postquam resurrectione Domini nostri Jesu Christi manifestissimum judicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quæ jam intelligimus operatione gravi onerati sumus, sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima et intellectu augustissima, et

* August. Trac. ad Ps. xliv. cont. lit. Petil. lib. 2, c. 47, de Bap. lib. 6, c. 19, 24, et cont. Cresc. lib. 4, c. 20. Heb. v. 4. Acts xx. 28. Tit. i. 5. Numb. xvi. 40. 2 Sam. vi. 6. Joh. xx. 21. Mat. xxviii. 20. Acts i. 26; xiv. 23. 1 Tim. v. 19. Acts vi. 3, 6; xv. 6. Phil. i. 1.

observatione castissima, ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi sacramentum et celebratio corporis et sanguinis Domini.*

De Baptismo.

Deum quidem in primo Adam offendimus, non facientes ejus præceptum, in secundo autem Adam, reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Omnes, venit [Dominus Jesus Christus] per semetipsum salvare. Omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores. Ideo per omnem venit ætatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem.†

Felix sacramentum aquæ nostræ, quia ablutis delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. Nuper conversata istic quædam de Caiana hæresi vipera venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit, imprimis Baptismum destruens. Adeo dicunt, Baptismus non est necessarius, quibus fides satis est. Sed enim quanta vis est perversitatis ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet, ex quibus constat? Nihil adeo est quod obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum quæ actu videntur, et magnificentia quæ in effectu repromittitur; ut hic quoniam tanta sim-

* Aug. cont. Faust. c. 11; in Ps. lxxiii. de Symb. ad Cat. c. 6, in Joh. Tr. 9. Acts ii. 38. 1 Cor. x. 16. Eph. v. 26. Mat. xxviii. 19. 1 Cor. xi. 23, 29.

† Iren. adv. Hær. lib. 2, c 39, lib. 5, c. 16.

plicitate, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumtu, homo in aqua demissus, et inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis. Proh misera credulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem et potestatem. Quid ergo? Nonne mirandum et lavacro dilui mortem? Atqui eo magis credendum, si, quia mirandum est, idcirco non creditur. Stulta mundi Deus eligit, ut confundat sapientiam ejus. Proinde ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit. Lex tingendi imposita est, et forma præscripta. "Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti." Diem Baptismo solenniorem Pascha præstat, cum et passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est. Exinde Pentacoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, et gratia Spiritus Sancti dedicata. Cæterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo. Si de solennitate interest, de gratia nihil refert. Nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur. Omnes aquæ de pristina originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de cœlis et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt. Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro signatur, ut et anima muniatur. Aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia, sub antistitis manu, contestamur nos renunciare diabolo, et pompæ et angelis ejus. Quid enim necesse

est sponsores etiam periculo ingeri? Quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possint, et proventu malæ indolis falli. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad Lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Nos pisciculi, secundum Ἰχθὺν nostrum, Jesum Christum, in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus.*

Dominus post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent instituit et docuit dicens, "Ite et docete gentes omnes, baptizantes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti." Insinuat Trinitatem, cujus sacramento baptizarentur. Baptisma esse in quo homo vetus moritur et novus nascitur, manifestat et probat beatus Apostolus, dicens: "Salvavit nos per lavacrum regenerationis." Si autem in lavacro, id est, in Baptismo est regeneratio; quomodo generare filios Deo hæresis per Christum potest, quæ Christi sponsa non est. Cum autem nativitas Christianorum in Baptismo sit, baptismi generatio et sanctificatio apud solam sponsam Christi sit. Quomodo tales justificare et sanctificare baptizatos possunt, qui hostes sacerdotum? Quantum vero ad causam infantium pertinet, universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam. Porro autem si etiam gravissimis delictoribus cum postea crediderint, remissa peccato-

* Tert de Bap. c. 1, 4, 13, 18, 19, de resur. c. 8, de coron. mil. c. 3.

rum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Quæsisti, fili, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Nos æstimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. Neque in sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali et seculari sordes cutis et corporis abluuntur, ut aphronitris, et ceteris adjumentis, et solio, et piscina opus sit. In sacramentis salutaribus, totum credentibus conferunt divina compendia. Scriptura sancta per Ezechielem dicat: "Et aspergam super vos aquam mundam, mundabimini ab omnibus munditiis vestris, et spiritum novum dabo in vobis." Item in Numeris: "Aqua aspersionis purificatio est." Unde apparet aspersionem quoque aquæ, instar salutaris lavacri obtinere. Oportet vero mundari et sanctificari aquam prius sacerdote, ut possit baptismo sua peccata hominis, qui baptizatur abluere. Evadere eos solos posse, qui renati et signo Christi signati fuerint Deus loquitur. Quod autem sit hoc signum et qua in parte corporis positum, manifestat alio in loco Deus, dicens: "Transi per mediam Jerusalem, et notabis signum super frontes virorum." Sed et ipsa interrogatio quæ sit in baptismo, testis est veritatis. Nam cum dicimus, Credis in vitam æternam, et remissionem peccatorum per

sanctam Ecclesiam? Intelligimus remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam. Seculo renunciaveramus, cum baptizati sumus. Potuit Dei servus et loqui, et renunciare Christo, qui jam Diabolo renunciârat et seculo?*

Nec sine aqua regenerationis mysterium est. Debemus, vobis Catechumenis loquor, gratiam baptismatis ejus omni festinatione suscipere, et de fonte Jordanis quem ille benedixit, benedictionis consecrationem haurire. Sed ubi nunc Christus, ibi quoque Jordanes est. Ingressus es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renunciasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriæ ejus ac voluptatibus.†

Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratiæ, et spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in uno Christo, ex uno Adamo generatum. Cum ergo sint duæ nativitates, una est de terra, alia de cœlo, una est de carne, alia de Spiritu; una est de mortalitate, alia de æternitate; una est de masculo et fœmina, alia de Deo et ecclesia. Sed ipsæ duæ singulæ sunt; nec illa potest repeti, nec illa. Jam natus sum de Adam, non me potest iterum generare Adam: jam natus sum de Christo, non me potest iterum generare Christus. Quomodo uterus non potest repeti, sic nec Baptismus. Quis nesciat, non esse baptismum Christi, si verba evangelica quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur

* Cyp. Ep. 74, 59, 76, 64, 7, et de lapsis p. 128.
† Amb. de Init. c. 4, Serm. 41.

hæretici qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent. Baptismus Christi, verbis evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteriis sanctus est, quamvis illi sint impudici et immundi: quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, et sacramento suo divina virtus adsistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium. Ecce enim baptizati sunt homines, omnia illis peccata dimissa sunt, justificati sunt a peccatis. Unusquisque vestrum jam ipsa justificatione constitutus, acceptâ scilicet remissione peccatorum per lavacrum regenerationis, accepto Spiritu Sancto, proficiens de die in diem. Sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint: sequuntur enim justificatum non præcedunt justificandum. Bona opera subsequuntur gratiam non præcedunt. "Spiritus ubi vult spirat:" sed quod fatendum est, aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans: nam nondum inhabitans adjuvat ut sint fideles, inhabitans adjuvat jam fideles. Mandata ejus sancta et bona sibi tribuebant; quæ ut possit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Jesu Christi qui finis est ad justitiam omni credenti: id est, cui per Spiritum incorporatus factusque membrum ejus potest quisque, illo incrementum intrinsecus dante, operari justitiam. In baptizatis infantibus præcedit regenerationis sacramentum, et si Christianam tenuerint pietatem, sequetur in corde conversi, cujus mysterium præcessit in corpore. In infantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis implere credenda est; quòd non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salu-

tem. Cæterum quis ignorat quòd baptizatus parvulus si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit quod parvus accepit. Quid est illud quod quando ad baptismum offeruntur parentes pro eis tanquam Fidedictores respondent? Spado, inquiunt, quem Philippus baptizavit, nihil plus dixit, quam, Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Num ergo placet, ut hoc solum homines respondeant, et continuo baptizentur? In eo quod ait, baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta esse omnia, quæ licet taceantur in Scripturis, gratiâ brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda. Offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus, quamvis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt, quam ab universa societate sanctorum atque fidelium. Tota hoc mater Ecclesia, facit. Cum alii pro infantibus respondent, ut impleatur circa eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Semper cruci baptisma jungitur. Hujus crucis mysterio, rudes catechizentur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, ejusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt.*

Apostolus propter plenitudinem temporum, et quia plus gratiæ in Apostolis est quam fuit in Prophetis, majora protestatur quæ ex dono baptismatis consequi-

* Aug. ep. ad Bonif, 98, in Jh. tr. 11, de Bap. lib. 6, c. 25, 3, c. 10, 17, lib. 4, c. 24. Serm. 1058, 101, de fid. et op. de Spirit. et ep. 194, 23.

mur; quia non solum remissionem peccatorum accipere nos, sed justificari et filios Dei fieri profitetur, ut beatitudo hæc perfectam habeat et securitatem et gloriam.*

De Cœna Domini.

Offerimus ei quæ sunt ejus congruenter communicationem et unitatem prædicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, et cœlesti: sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptabilia, spem resurrectionis habentia. Suis discipulis dans consilium Christus primitias, Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit dicens: "Hoc est corpus meum." Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in Novo Testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic præsignificavit: "Sacrificium non accipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes et in omni

* Hilar. diac. in Rom. iv. 8. Tit. iii. 5. 1 Cor. xii. 13. Heb. x. 22. Acts xxii. 16. Gal. iii. 26, 27. Acts ii. 41, 42. Mat. xxviii. 19. 1 Cor. vii. 14. Marc. x. 14.

loco incensum offertur nomini meo et sacrificium purum."*

Deus in evangelio quoque vestro revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in panem Prophetes figuravit: ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo. Christus acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, "hoc est corpus meum," dicendo, id est figura corporis mei. Pane ipsum suum corpus repræsentat. Quam eleganter sapientia ordinem orationis instruxit, ut post cœlestia, id est Dei nomen, post Dei voluntatem, et Dei regnum terrenis quoque necessitatibus petitioni locum faceret? Quanquam "panem nostrum quotidianum da nobis hodie," spiritualiter potius intelligamus. Christus enim panis noster est, tum quod et corpus ejus in pane censetur, "hoc est corpus meum," itaque petendo panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo et individuitatem a corpore ejus. Ne prius ascendamus ad Dei altare, quàm si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Sic etsi carnem ait [Dominus] nihil prodesse, ex materia dicti dirigendus est sensus. Nam quia durum et intolerabilem existimaverunt sermonem ejus, quasi vere carnem suam illis comedendam determinasset, ut in spiritu disponeret statum salutis præmisit, "Spiritus est qui vivificat," atque ita subjunxit, "Caro nihil prodest," ad vivificandum scilicet.†

* Irenæus. adv. Hær. lib. 4, c. 34, 32.

† Tert. cont. Marcion. lib. 3, c. 19, lib. 1, de Orat. c. 6, et de resur. carnis, c. 37.

Baptismæ salutaris aquæ semel scilicet sumitur nec rursus iteratur: cæterum calix Domini in Ecclesia semper sititur et bibitur. Unanimitatem Christianam [illegible] sibi atque inseparabili charitate connexam, etiam [illegible] Dominica sacrificia declarant. Nam, quando Dominus corpus suum panem vocat, de multorum granorum adunatione congestum; populum nostrum quem portabat, indicat adunatum. Et quando sanguinem suum unum appellat, de botris atque acinis plurimis expressum, atque in vinum coactum; gregem item nostrum significat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Quidam vel ignoranter vel simpliciter in sanguine Dominico sanctificando et plebi administrando non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus et Deus noster sacrificii hujus autor, et doctor, fecit, et docuit. Nec potest videri sanguis ejus, quo redempti, et vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici. In sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur et dicit, "Et Melchisedech Rex Salem protulit panem et vinum: fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham;" quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus Sanctus, ex persona Patris ad Filium dicens, "Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech." Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem et vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei Summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech

obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet, corpus et sanguinem? Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad nostrum populum pertinebat. Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset recte celebrari, præcedit ante imago sacrificii Christi in pane, et vino scilicet constituta: quam rem perficiens, et adimplens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. At enim non mane sed post cœnam obtulit Dominus: nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet vesperam et occasum mundi, sicut in Exodo scriptum est. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus, et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus (passio est enim Domini sacrificium quod offerimus) nihil aliud quam quod ille fecit facere debemus. Quotiescunque ergo calicem in commemorationem Domini et passionis ejus offerimus, id quod constat Dominum fecisse faciamus. Scriptura enim dicit: "Quotiescunque enim ederitis panem istum et calicem istum biberitis, mortem Domini annunciabitis quoadusque veniat." Expenere enim justificationes et testamentum Domini, et non hoc idem facere quod fecerit Dominus; quid aliud est, quam sermones ejus abjicere et disciplinam dominicam contemnere, nec terrena, sed spiritalia furta et adulteria committere; dum quis de evangelica veritate furatur Domini nostri verba et facta, corrumpit atque adulterat præcepta divina? Quomodo docemus aut provocamus eos in confessione

nominis sanguinem suum fundere, si illis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus.*

Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, et ille in nobis. Ipse enim ait, "Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus; qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum in me manet et ego in eo." Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est; et hæc accepta, atque hausta id efficiunt, ut nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse Deum denegant. Cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit, nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, et ille rursus in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur. Si non sunt tanta peccata ut excommunicetur quis, non se debet a medicina corporis et sanguinis Domini separare.†

Quod generaliter exposuimus de edenda carne agni, specialiter in degustandis, servandum est iisdem mysteriis Dominicæ passionis, ut neque crudam carnem, crudumque sanguinem, sicut Judæus, esse putes et respuas, dicens, "Quomodo poteat iste dare carnem

* Cypr. ep. 63. Vide etiam de Dom. Oratione.
† Hilar. Pict. de Trin. lib. 68.

suam ad manducandum?" Neque in olla cordis carnei ipsum decoquas sacramentum, commune illud ac terrenum esse existimans, sed ut per ignem divini Spiritus id effectum, quod annuntiatum est, credas.*

Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus: "Hoc est corpus meum." Ante consecrationem verborum cœlestium, species nominatur: Post consecrationem corpus Christi consecratur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Sed forte dicis: speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis. Umbra in lege, imago in evangelio, veritas in cœlestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus; tunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hîc in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi Advocatus intervenit. In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non ergo corporalis esca, sed spiritalis est, unde Apostolus de typo ejus ait, quia patres nostri escam spiritalem manducaverunt et potum spiritalem biberunt. Corpus est enim Dei spiritale. Corpus Christi corpus est divini Spiritus, quia Spiritus est Christus. Ipse quidem nobis apud Patrem Advocatus adsistit, sed tunc eum non videmus. Tunc videbimus cum imago transierit, veritas venerit.†

* Gaudens. Brix. Trac. 2, in Exod.

† Amb. de his qui, init. c. 9, de Officiis c. 48, et in Ps. xlviii.

Recurre ad Genesin, et Melchisedech regem Salem, Hierosolymitanæ urbis principem invenies, qui jam tunc in typo Christi, panem et vinum obtulit, et mysterium Christianum in Salvatoris corpore et sanguine dedicavit. Pane et vino, simplici, puroque sacrificio, Christi dedicavit sacramentum. Dominus in typo sanguinis sui, non obtulit aquam sed vinum. Postquam typicum pascha fuerat impletum, et agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis et ad verum paschæ sacramentum transgreditur, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis et sanguinis repræsentaret. Mysterium nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis offerendis, sed oblato pane et vino, id est, corpore et sanguine Domini Jesu. Triticum quoque, de quo panis cœlestis efficitur, illud est de quo loquitur Dominus "caro mea vere est cibus," rursumque de vino, "et sanguis meus verus est potus." Secundum tropologiam possimus dicere, omnes voluptatis amatores magis quam Dei, sanctificari in hortis et liminibus, quia mysteria veritatis non valent introire, et comedere cibos impietatis; dum non sunt sancti corpore et Spiritu, nec comedunt carnem Jesu, neque bibunt sanguinem ejus, de quo ipse loquitur: "Qui comedunt carnem meam, et bibunt sanguinem meum, habent vitam æternam."*

Si enim sacramenta quandam similitudinem earum

* Hieron. ad Marcellam. ad Evag. ad Jovin. in Mat. c. xxvi. Quest. in Gen. in Esaiam c. 62.

rerum quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, ita sacramentum fidei ides est. Acceptionem eucharistiæ Dominicam cœnam vocâris. Quomodo est panis corpus ejus, et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus? Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Sacrificium visibile sacrificii invisibilis sacramentum, id est, sacrum signum est. Non enim Dominus dubitavit dicere, "Hoc est corpus meum," cum signum daret corporis sui. Solet autem res quæ significat ejus rei nomine quam significat nuncupari; sicut scriptum est, "Septem spicæ septem anni sunt, et septem boves septem anni sunt," (non enim dixit septem annos significant) et multa hujusmodi. Hinc est quod dictum est, "Petra erat Christus," non enim dixit, "Petra significat Christum," sed tanquam hoc esset, quod utique per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Cum Melchisedech Abrahæ benediceret, ibi primum aperuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur toto terrarum orbe. Hujus sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi, per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur. Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis et variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus

obtulit. Unde jam Christiani, peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi. Sicut duos in carne una Christum et ecclesiam cognoscimus; sicut Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus. Audivimus veracem Magistrum, divinum Redemptorem, humanum Salvatorem commendantem nobis pretium nostrum sanguinem suam, locutus est enim nobis de corpore, et sanguine suo, corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium. Tunc autem vita erit unicuique corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, spiritaliter manducatur, spiritaliter bibatur. Audivimus enim ipsum Dominum dicentem, "Spiritus est, qui vivificat." Spatia locorum tolle corporibus nusquam erunt: et quia nusquam erunt nec erunt. Tolle ipsa corpora, qualitatibus corporum, non erit ubi sint: et ideo necesse est non sint. Si moles ipsa corporis, quantacunque vel quantulacunque sit, penitus auferatur, qualitates ejus non erit ubi sint. Nos indicemus modo Judæis, ubi sit Christus. Resurrexit, a discipulis agnitus; ante oculos eorum ascendit in cœlum: ibi sedet ad dextram Patris: qui judicatus est, venturus est judex. Audiant et teneant. Respondent; quem tenebo? absentem? quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte, et tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne: tu tene corde; quoniam Christus absens etiam præsens est: nisi præsens esset, a nobis ipsis teneri non posset: sed quoniam verum est quod ait, "Ecce ego vobiscum

sum usque ad consummationem seculi:" et abiit, et hic est, et rediit, et nos non deseruit: corpus enim suum intulit cœlo; majestatem non abstulit mundo. "Spiritus est qui vivificat; caro autem nihil prodest: verba autem quæ, loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt." [Id est] spiritualiter intelligite quod loquutus sum: non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis; et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi: spiritualiter intellectum vivificat vos. Nec linguam quippe ejus, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos linguæ editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi, et sanguinem dicimus, sed illud tantùm, quod ex frugibus terræ acceptum, et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis, quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Sancto. Quid de ipso corpore et sanguine Christi, unico sacrificio pro salute nostra? Quamvis ipse Dominus dicat, "nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam;" nonne idem Apostolus docet jam hoc perniciosum male utentibus? Ait enim. "Quicunque manducaverit panem, et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini." Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter

premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi; sed magis tantæ rei sacramentum, ad judicium sibi manducat et bibit, qui immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est, de quibus dicitur; "Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt." *

DE CONFIRMATIONE.

Diximus quantum mediocritati nostræ licuit de universis quæ Baptismi religionem struunt: nunc ad reliquum statum ejus æque ut potero progrediar, de quæstiunculis quibusdam. Quemadmodum enim, post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum (ut ita dixerim) mundi, pacem cœlestis iræ, præco columba terris annuntiavit demissa ex arca et cum oleo reversa; quod signum etiam apud nationes paci prætenditur; eadem dispositione spiritalis effectus, terræ, id est, carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta, columba Sancti Spiritus advolat pacem Dei afferens, emissa de cœlis, ubi ecclesia est arca figurata. Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum. Denique, cum anima Deo allegitur, ipsa est [caro] quæ efficit ut anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro signatur, ut et anima muni-

* Aug Ep. 23, 118. De Civ. Dei. lib. 10, c. 5, con. Adiman. c. 12, in Levit. Q. 57. De Civ, lib. 16, c. 22, cont. Faust. lib. 19, c. 13, 17. De verb. Apost. serm. 2, Ep. 57, ad Dard. In Johan. Tr. 50, in Ps. 98. De Trin. lib 3, c. 4, cont. Cres. lib. 1, c. 21, in Joh. Tr. 26. 1 Cor. x. 16, 17; xi. 27, 28. Luc. xxii. 19, 20. Joh. vi. 38.

atur. Caro manus impositione adumbratur; ut et anima spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit.*

Illi qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant; et intus in ecclesia, quæ una est, et cui soli gratiam baptismi dare, et peccata solvere permissum est, a Philippo diacono, quem iidem Apostoli miserant, baptizati erant. Et iccirco quia legitimum et ecclesiasticum baptisma consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat: sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu impositâ, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in ecclesia baptizantur, præpositis ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.†

An nescis [ait interlocutor] ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Non quidem abnuo, [ait Hieronymus] hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus ex-

* Tertul. de Bap. c. 7, de Resur. c. 8.

† Cyp. ep. 73, ad Jub.

currat. Sed quale est ut leges ecclesiæ ad hæresim transferas? Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero baptizmate tribui; disce hanc observationem ex eâ auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factum reperimus, ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem. Alioquin si episcopi tantùm imprecatione Spiritus Sanctus defuit, lugendi sunt, qui in villulis aut in castellis aut in remotioribus locis per presbyteros et diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab episcopis inviserentur.*

Sequitur spirituale signaculum, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus sancti timoris. Septem quasi virtutes Spiritus. Et omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent; sed istæ quasi cardinales sunt, quasi principales. Istæ sunt septem virtutes, quando consignaris, baptizatus es in nomine Trinitatis. Deus qui te unxit et signavit, posuit Spiritum Sanctum in corde tuo. Accipe aliud, Christum dicentem ad ecclesiam: "Pone me ut signaculum in corde tuo." Ergo unxit te Deus, signavit te Christus. Quomodo? Quia crucis ipsius signatus es formâ. In baptismate quasi specialiter crucifigeris Christo. Deinde quasi specialiter, quando accipis spirituale signaculum. Repete, quia accepisti signaculum spirituale:

* Hieron. dial. adv. Lucif. c. 4.

Serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in corde tuo.*

Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat ecclesia. Spiritus autem Sanctus, quòd in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait. "Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis." Ipsa est enim charitas quam non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt; ac per hoc, etiamsi linguis hominum loquantur et Angelorum, si sciant omnia sacramenta et omnem scientiam; et si omnem habeant prophetiam, et omnem fidem, ita ut montes transferant, et distribuant omnia sua pauperibus, et tradant corpus suum ut ardeat, nihil eis prodest. Non autem habent charitatem Dei, qui ecclesiæ non diligunt unitatem, ac per hoc, recte intelligitur dici non accipi nisi in Catholica Spiritus Sanctus. Neque enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei et ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint

* Amb. de Sacr. (si ejus opus sit) lib. 3, c. 2. 6, 2, et de iis qui init. c. 7.

dicere: "Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis." *

Quod nunc, in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis; hoc tunc Spiritus Sancti descensio in credentium populo donavit universis. Sed quia diximus quòd manus impositio, et confirmatio ei, qui jam regeneratus in Christo est, conferre aliquid possit; forte cogitat sibi aliquis: Quid prodest post mysterium baptismatis ministerium confirmantis? Aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus? Non ita est, dilectissimi, attendat charitas vestra. Sic enim exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adjumenta militiæ. Nunquid prodest si quisquam parentum magnam parvulo conferat facultatem, nisi providere studeat et tutorem? Paracletus regenieratis in Christo custos et consolator et tutor est. Ergo Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam: quia in hoc mundo tota ætate victuris inter visibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Ac sic continuo transituris sufficiunt regenerationis bene-

* August. de Trin. lib. 15, c. 26, de bap. lib. 3, c. 16.

ficia: victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos; confirmatio autem armat et instruit ad agones mundi hujus et prælia reservandos.*

DE RESURRECTIONE CORPORIS.

Fabricator enim universorum Dei Verbum, qui ab initio plasmavit hominem, à malitia inveniens labefactatum suum plasma omni modo curavit, hoc quidem et secundum unumquodque membrum, sicut et in suo plasmate est: hoc autem et semel sanum totum et integrum redintegravit hominem, perfectum eum sibi præparans ad resurrectionem. Quam enim causam habebat carnis membra curare, et restituere in pristinum caracterem, si non habebant salvari quæ ab illo curata fuerant? Si enim temporalis erat ab eo utilitas, nihil grande præstitit his qui ab eo curati sunt. Aut quomodo dicunt, carnem non esse capacem vitæ quæ est ab eo, quæ percipit curationem ab eo? Vita enim per curationem; incorruptela autem per vitam efficitur. Qui igitur curationes confert, hic et vitam; et qui vitam, et incorruptelam circundat plasmati suo. Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Nostra corpora reposita in terram et resoluta in eam, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris.†

Dies moritur in noctem et tenebris usquequaque

* Euseb. Emiss. sive Eucher. Arel. sive Hilar. Arel. de Pente cost. Acta viii. 14, 17; xix. 6. Heb. vi. 2.

† Iren. lib. 5, c. 2, lib. 12, c. 14.

sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta; ubique justitium est, quies rerum: ita lux amissa lugetur: et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem et integra et tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras, hæres sibimet existens, donec et nox reviviscat, cum suo et illa suggestu. Redaccendantur enim et stellarum radii, quos matutina successio extinxerat. Reducuntur et siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat. Redornantur et specula lunæ quæ menstruus numerus adtriverat. Revolventur hiemes et æstates, et verna aut autumna cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terræ de cœlo disciplina est arbores vestire post spolia, flores denuo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem quæ absumpta sunt semina, nec prius exhibere quam absumpta: mira ratio de fraudatrice servatrix, ut reddat intercipit, ut custodiat perdit, ut integret vitiat, ut etiam ampliet prius decoquit. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum. Præmisit Deus tibi naturam magistram, submissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiæ discipulus naturæ: quo statim admittas cum audieris, quod ubique jam videris, nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium noris restitutorem. "Oportet enim corruptivum istud induere incorruptionem, et mortale istud induere immortalitatem." Quid mortale nisi caro? Quid corruptivum nisi sanguis. Ac ne putes aliquid aliud sentire Apostolum providentem tibi, et ut de carne dictum intelligas laborantem, cum dicit *istud corruptivum et istud*

mortale, cutem ipsam tenens dicit. Certe *istud* demonstrationis corporalis est verbum. Nam et ipsum quod *mortuorum resurrectio* dicitur, exigit defendi proprietates vocabulorum. *Mortuorum* itaque vocabulo non est nisi quod amisit animam, de cujus facultate vivebat. Corpus est quod amittit animam, et amittendo fit mortuum; ita mortui vocabulum corpori competit. Porro si resurrectio mortui est, mortuum autem aliud non est quam corpus, corporis erit resurrectio. Sic et *resurrectionis* vocabulum non aliam rem vindicat quam quæ cecidit, quod semper retro jacuit. Resurgere autem non est nisi ejus quod cecidit. Quam absurdum, quam vero et iniquum, utrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercedem dispungi, ut hæc quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur: item e contrario hæc quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur? Nonne præstat omnem semel fidem a spe resurrectionis, abducere, quam de gravitate atque justitia Dei ludere, Marcionem pro Valentino resuscitari. Nostri autem illud quoque recogitent, corpora eadem recepturas in resurrectione animas in quibus decesserunt. Resurget igitur caro, et quidem omnis, et quidem ipsa, et quidem integra.*

Tu perire Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi reservatur.†

Cum omnis vitæ nostræ usus in corporis animæque

* Tertul. de resur. car. c. 12. 51, 56, de anim. c. 56.

† Minut. Fœlix in Octav.

consortio sit, resurrectio autem aut boni actus præmium habeat aut pœnam improbi, necesse est corpus resurgere cujus actus expenditur. Quomodo enim in judicium vocabitur sine corpore, cum de suo et corporis contubernio ratio præstanda sit?*

Exempli causa pauca subjiciam. Credimus, inquiunt, resurrectionem futuram corporum. Hoc si bene dicatur, pura confessio est; sed quia corpora sunt cœlestia, et terrestria, et aer iste, et aura tenuis juxta naturam suam corpora nominantur, *corpus* ponunt, non *carnem* ut Orthodoxus corpus audiens carnem putet, Hæreticus spiritum recognoscat. Hæc enim eorum est prima decipula; quæ si deprehensa fuerit, instruunt alios dolos, et innocentiam simulant, et malitiosos nos vocant, et quasi simpliciter credentes aiunt, "Credimus resurrectionem carnis." Hoc vero cum dixerint, vulgus indoctum putat sibi sufficere, maxime quia idipsum et in symbolo creditur. Quod dicit Apostolus "corruptibile hoc et mortale;" hoc ipsum corpus, id est carnem, quæ tunc videbatur, ostendit. Quod autem copulat, "Induere incorruptionem et immortalitatem;" illud indumentum, id est vestimentum, non dicit corpus abolère quod ornat in gloria, sed quod ante inglorium fuit, efficere gloriosum. Sed et ipsum *resurrectionis* vocabulum significat non aliud ruere, aliud, resuscitari, et quod adjicitur *mortuorum* carnem propriam demonstrat; quod enim in homine moritur, hoc et vivificatur. Enoch translatus est in carne, Elias carneus raptus est in cœlum, necdum mortui, et paradisi jam coloni habent quoque mem-

* Amb. de fid. res.

bra quibus rapti sunt atque translati. Hæc est vera resurrectionis confessio, quæ sic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem.*

Cum omnes ecclesiæ ita sacramentum symboli tradant, ut postquam dixerant, *peccatorum remissionem*, addant carnis resurrectionem: sancta Aquileiensis ecclesia, ubi tradit carnis resurrectionem addit unius pronominis syllabam; et pro eo quod cæteri dicunt, *carnis resurrectionem*, nos dicimus *hujus carnis resurrectionem*. Sive ergo corpus resurrecturum dicimus, secundum Apostolum dicimus (hoc enim nomine usus est) sive carnem dicimus, secundum traditionem symboli confitemur. Hujus carnis resurrectionem HUJUS sine dubio quam, is qui profertur, signaculo crucis fronti imposito contingit; quo sciat unusquisque fidelium, carnem suam si mundam servaverit a peccato futuram vas esse honoris, utile Domino ad omne opus bonum paratum: si vero contaminata fuerit in peccatis, futuram esse vas iræ ad interitum. Jam vero de ipsa resurrectionis gloria, et de promissionum magnitudine si quis plenius scire desiderat, omnibus pene divinis voluminibus inveniet indicari. Sed et Apostolus cum dicit, "Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem:" numquid non corpus suum quodammodo contingentis et digito palpantis est vox? Hoc ergo quod nunc corruptibile corpus est, resurrectionis gratia incorruptibile est, et nunc quod mortale est, immortalitatis virtutibus induetur.†

* Hieron. Ep. 55, 61, ad Pam.

† Ruffin. Apol. adv. Hier. prolog. Pamp. et in Symb.

Absit autem ut ad resuscitanda corpora vitæque reddenda non possit omnipotentia Creatoris omnia revocare quæ vel bestia vel ignis absumpsit; vel in pulverem cineremque collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit ut sinus ullus, secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem. Non periit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet pulverem, cineremve solvatur; in quoslibet halitus, aurasque defugiat; in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcunque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis reddit, quæ illam primitus ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit. Si enim statuam, potest artifex homo, quam, propter aliquam causam deformem fecerat, conflare, et pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde substantiæ, sed sola deformitas pereat, ac si quid in illa figura priore indecenter extabat, nec paritati partium congruebat, non de toto, unde fecerat, amputare atque separare, sed ita conspergere universa atque miscere, ut nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem: quid de Omnipotenti Artifice sentiendum est?*

* August. de civit. lib. 22, c. 20, 19; Enchirid. c. 88. Job. xix. 26. Mat. xxviii. 6—15. Joh. v. 28; ii. 19. Rom viii. 11. 1 Cor vi. 20; xv. 13. 1 Thess. iv. 16, 17. Rev. xx. 13.

DE VITA SEMPITERNA.

Quibuscunque dixerit Dominus, "Discedite a me, maledicti, in ignem perpetuum," isti erunt semper damnati: et quibuscunque dixerit, "Venite, benedicti Patris mei," hi semper percipiunt regnum, et in eo proficiunt semper.*

Deus itaque judicabit plenius, quia extremius, per sententiam æternam tam supplicii quam refrigerii. Qui producto ævo isto judicaturus sit suos cultores in vitæ æternæ retributionem; profanos in ignem æque perpetem et jugem, suscitatis omnibus ab initio defunctis ad utriusque meriti dispunctionem. Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, quum fumariola quædam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximæ urbes aut jam nulla extent aut idem sibi de die sperent? Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fœtu, et quod nobis judicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, nunquam tamen finiuntur. Recogitate pro brevitate supplicii cujuslibet, non tamen ultra mortem remansuri. Sic et Epicurus omnem cruciatum doloremque depretiat modicum quidem contemptibilem pronunciando magnum vero non diuturnum. Enimvero nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentiæ occurrimus, et pro scientiæ plenitudine, et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus, non diuturni sed sempi-

*Iren. lib. 4, c. 47.

terni, eum timentes quem timere debebit et ipse qui timentes judicat, Deum non proconsulem timentes.*

Credite illi qui omnino non fallit. Credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit. Credite illi, qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidiæ, cum judicii dies venerit? quæ lætitia credentium, quæ mæstitia perfidorum; noluisse istic prius credere, et ut credant, jam redire non posse. Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax pœna; nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus: hic vita aut amittitur, aut tenetur, hic saluti æternæ cultu Dei et fructu fidei providetur. In isto adhuc mundo manenti, pœnitentia nulla sera est. Venia confitenti datur; et ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impertit. Hic nobis viam vitæ aperit, hic ad paradisum reduces facit, hic ad cœlorum regna perducet. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo; qui nos istinc ereptos, et laqueis secularibus exsolutos paradiso restituit, et regno cœlesti. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum, cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti. Patriam nostram paradisum computemus, parentes patriarchas habere jam cœpimus; quid non properamus et currimus, ut patriam nostram vi-

* Tert. de Anim. c. 33, de Pœnit. c. 12, Ap. c 18, 45.

dere, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute solicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune lætitia est? Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi et cum æternitate vivendi? quam summa et perpetua felicitas? Illic Apostolorum gloriosus chorus: illic prophetarum exultantium numerus: illic martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus: triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis et corporis, continentiæ robore subegerunt: remunerati misericordes, qui alimentis et largitionibus pauperum justitiæ opera fecerunt: qui Dominica præcepta servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt.*

Testes nobis sunt Evangelii dives et pauper: quorum unum angeli in sedibus beatorum, et in Abrahæ sinu locavérunt, alium statim pœnæ regio suscepit. Adeo autem statim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus in supernis manerent. Nihil illic dilationis aut moræ est. Judicii enim dies, vel beatitudinis retributio est æterna vel pœnæ. Tempus vero mortis habet interim unumquemque suis legibus dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut pœna.†

Festinaba: sanctus David de hoc loco peregrinationis exire, dicens, "Advena ego sum apud te in terra, et peregrinus, sicut omnes patres mei." Et ideo tan-

* Cypr. ad Demet. et de mortal. † Hilar. Pict. in Ps. ii.

quam peregrinus ad illam sanctorum communem omnium patriam festinabat, petens pro hujus commorationis inquinamento remitti sibi peccata, priusquam discederet e vita. Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, qui ad vitam æternam non potuerit pervenire; quia vita æterna remissio peccatorum est. Ideoque dicit: "Remitte mihi, ut refrigerer priusquam eam." Solutio autem ista quid aliud agit, nisi ut corpus resolvatur et quiescat; anima autem convertatur in requiem suam, et sit libera? quæ si pia est, cum Christo futura sit. Mors qualem in singulis statum invenerit, talem judicio futuro reservat. Anima absolvitur, corpus resolvitur, nihil sentit. Non est autem mala solutio, quia dissolvi et esse cum Christo, multo melius. Non igitur mala mors. Denique mors peccatorum pessima. Non utique mors pessima generaliter, sed pessima specialiter peccatorum. Denique pretiosa justorum. Unde liquet, acerbitatem non mortis esse, sed culpæ. His igitur freti, intrepide pergamus ad redemptorem nostrum Jesum, intrepide ad patriarcharum concilium, intrepide ad patrem nostrum Abraham, cum dies advenerit, proficiscamur: intrepide pergamus ad illum sanctorum cœtum, justorum conventum.*

Mortui nihil valent ad id adjicere quod semel secum tulere de vita: et oblivione obvoluta sunt omnia. Mortis tempestate subversus, ubicunque ceciderís, ibi jugiter permanebis: sive te rigidum et trucem, sive clementem et misericordem, ultimum invenerit tempus. Qui dum in hoc vivit corpore, veniam peccato-

* Amb. de bono mortis. cap. 2, 3, 4.

rum non fuerit consequutus; et sic de vita excesserit, Deo perit, et esse desistit. Licet sibi subsistat in pœnis. Diem autem Domini, diem intellige judicii, sive diem exitus uniuscujusque de corpore. Quod enim in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur. *Unusquisque onus suum portabit.* De Domini dicat [Apostolus] in nos judicio, quod non ex alterius peccato, et comparatione deterioris, sed juxta nostrum opus aut peccatores ab eo judicemur, aut sancti, recipiente unoquoque secundum opus suum. Dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadjuvari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, non Noë rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum.*

Eam quippe vitam æternam dicimus, ubi est sine fine felicitas. Nam si anima in pœnis vivit æternis, quibus et ipsi spiritus cruciabuntur immundi, mors illa potius æterna dicenda est, quam vita. Nulla quippe major et pejor est mors quam ubi non moritur mors. In requie sunt animæ piorum a corpore separatæ: impiorum autem pœnas luunt: donec istarum ad æternam vitam, illarum vero ad æternam mortem, quæ secunda dicitur, corpora reviviscant. Pars quæ conjungenda immortalibus angelis ex mortalibus hominibus congregatur, et nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis qui morte obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit. Diversæ custodiæ mortuorum, et diversa merita resurgentium: receptus est pauper: receptus est dives: sed ille in sinu Abra-

* Hieron. in Eccles. ix. in Esai. v. et Galat. vi.

hæ: ille ubi sitiret, et guttam non inveniret. Habent ergo omnes animæ, ut ex hac occasione instruam charitatem vestram; habent omnes animæ, cum de seculo exierint, diversas receptiones suas: habent gaudium boni, et mali tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pace sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, boni fideles; omnes tamen adhuc in fine recepturi sunt quod promisit Deus: promissa enim est resurrectio etiam carnis, mortis consumtio, vita æterna cum Angelis: hoc omnes simul accepturi sumus. Nam requiem quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cum moritur. Priores acceperunt Patriarchæ, videte ex quo requiescunt: Posteriores Prophetæ, recentius Apostoli, multo recentiores sancti martyres, quotidie boni fideles: et alii in ista requie tamdiu sunt, alii non tamdiu; alii paucioribus annis, alii recenti tempore. Cum vero ab hoc somno evigilabunt, simul omnes quod promissum est accepturi sunt.*

DE CULTU.

Imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliqua materia fabricatas [Hæretici habent,] dicentes formam Christi factam a Pilato, illo in tempore quo fuit Jesus cum hominibus, et has coronant, et proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, et Platonis,

* Aug. de civ. Dei. lib. 6, c. 12, 9, lib. 13, c. 8; et Tr. 49 in John.

et Aristotelis, et reliquorum; et reliquam observationem circa eas similiter ut gentes faciunt.*

Si eundem Deum observas, habes legem ejus, Ne feceris similitudinem. Si et præceptum factæ postea similitudinis respicis, et tu imitare Moysem. Ne facias adversus legem simulachrum aliquod, nisi et tibi Deus jusserit. Quomodo Moysem et Heliam Petrus cognovisset, nisi in Spiritu. Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset et similitudines, lege prohibente. Igitur si statuas et imagines frigidas, mortuorum suorum simillimas non adoramus, quas milvi, et mures, et aranææ intelligunt; nonne laudem magis quam pœnam meretur repudium agniti erroris?

Nos pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum. Hæc ab alio orare non possum, quam a quo me scio consecuturum, quoniam et ipse est qui solus præstat. Præscribitur mihi, ne quem alium adorem, aut quoquomodo venerer, præterquam unicum illum qui ita mandat. Simonianæ autem Magiæ disciplina Angelis serviens, utique et ipsa inter idolatrias deputabatur, et a Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur. Quid non cœleste quod Domini Christi est? Consideremus itaque, benedicti, cœlestem ejus sophiam, imprimis de præcepto secrete adorandi, quo et fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis et conspectum et auditum sub tectis et in abditis etiam adesse consideret; et modestum fidei desiderabat, ut quem ubique

* Iren. lib. i. c. 24.

audire et videre fideret, ei soli religionem suam offerret.*

Quanta vero de Diis vestris animalia muta naturaliter judicant, mures, hirundines, milvi? Non sentire eos sciunt, norunt, inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso Dei vestri ore nidificant. Vos tergitis, mundatis, eraditis, et illos quos facitis, protegitis et timetis.†

Non est dubium quin religio nulla sit ubicunque simulachrum est. Quid sibi templa? Quid aræ volunt? Quid denique ipsa simulachra, quæ aut mortuorum aut absentium monimenta sunt? Perversum et incongruens ut simulachrum hominis a simulachro Dei colatur. Colit enim quod est deterius, imbecillius. Inexpiabile facinus deserere viventem, ut defunctorum monimentis servias, qui nec vitam, nec lucem dare cuiquam possunt, qua ipsi carent. Non religio in simulachris, sed mimus religionis est. Religio et veneratio nulla alia nisi unius Dei tenenda est.‡

Dicebatur illo tempore venturos esse [in Catholicorum gratiam] Paulum et Macarium, qui interessent sacrificio, et cum altaria solenniter aptarentur, proferrent illi imaginem quam primo in altari ponerent; sic sacrificium offerretur. Hoc cum acciperent aures, perculsi sunt et animi, et uniuscujusque lingua in hæc verba commota est, ut omnis qui hoc audierat di-

* Tert. de Idol. c. 4, Con. Mar. c. 24, Apol. c. 12, Scorp. c. 4, de Orat. c. 1.

† Min. Fœlix in Octav. ‡ Lact. lib. 2. c. 17, 18. Inst. lib. 1.

ceret: Qui inde gustat, de Sacro gustat. Et rectè dictum erat, si talem famam talis veritas sequeretur. At ubi ventum est a supra dictis, nihil tale visum est, ex eo quod fuerat paulo ante mentita fama. Nihil viderunt oculi Christiani quod horrerent. Nihil probavit aspectus ex iis quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, et ritu solito solennis consuetudo perspecta est.*

Sive statuam, ut Symmachus, sive imaginem auream, ut cæteri transtulerunt, voluerimus legere, [in Dan. iii.,] cultores Dei eam adorare non debent. Ergo judices et principes sæculi, qui imperatorum statuas adorant et imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo. Et notanda proprietas, Deos coli, imaginem adorari dicunt; quod utrumque servis Dei non convenit. Nos autem, non dico martyrum reliquias, sed ne Solem quidem et Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, et omne nomen quod nominatur et in præsenti sæculo et in futuro, colimus et adoramus, ne serviamus creaturæ potius quam Creatori qui est benedictus in sæcula: honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cujus sunt martyres adoremus. Quis enim, ô insanum caput, aliquando martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?†

Sed enim et nos pleraque instrumenta, et vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio con-

* Opt. Milev. con. Parm. lib. 3.

† Hieron. in Dan. iii. adv. Vigilan.

secrata, sancta dicuntur in ejus honorem cui pro salute nostra inde servitur. Numquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo? Illa causa est maxima impietatis insanæ, quòd plus valet in affectibus miserorum similis viventi forma, quæ sibi efficit supplicari, quàm quòd eam manifestum est non esse viventem, ut debeat a vivente contemni. Plus enim valent simulachra ad incurvandam infelicem animam, quòd os habent, oculos habent, nares habent, manus habent, pedes habent, quàm ad corrigendam, quòd non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt. Non sit nobis Religio cultus hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales quærant honores: sed illum a nobis coli volunt quo illuminante lætantur meriti sui non esse consortes. Honorandi sunt ergo propter imitationem, non adorandi propter religionem. Honoramus eos charitate non servitute. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. At vero illo cultu, quæ Græce latria dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie Divinitati debita servitus; nec colimus, nec colendum docemus nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii, unde Idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offeremus vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo; et quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut condem-

netur, sive ut caveatur. Recte scribitur hominem ab Angelo prohibitum ne se adoraret, sed unum Deum sub quo ei esset et ille conservus.*

Qua ratione ad incarnationis Dominicæ sacramentum spectare videatur quod ait Propheta, "Adorate scabellum pedum ejus" consideremus. Neque adorandum quidquam præter Deum legimus, quia scriptum est, "Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies." Quomodo ergo adversus legem Propheta præciperet? Non mediocris quæstio, et ideo diligentius consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi: "Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum." Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura Dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Jesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem Caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et Apostoli in Domino Jesu adorarunt. Ac ne quis hoc derivet ad Mariam virginem. Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille solus adorandus qui operabatur in templo.*

SYMBOLA.

Symbolum Nicænum.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem,

* Aug. Conc. in Ps. cxiii. de vera Relig. c. 55, Con. Faus. lib. 21, c 20, in Apoc. xix. 10.

* Amb. de Spir. Sanct. lib. 3, c. 12. Exod. xx. 4, 5, &c. Deut. xxvii. 15. Ps. lxv. 2. Joh. v. 21. Apoc. xix. 10.

factorem cœli et terræ, visibiliumque omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, hoc est ex substantia Patris. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt, et quæ in cœlis et quæ in terra: qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu Sancto et Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit ad cœlos, ed sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem; qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum; et vitam futuri sæculi. Amen.

Symbolum vulgo Apostolorum Appellatum.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ: et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis: ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.

Symbolum vulgo S. Athanasii Appellatum.

Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem; quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in Unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia enim est persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti: sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, et co-æterna majestas. Qualis Pater talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus; immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres æterni, sed unus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, unus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Sanctus Spiritus; et tamen non tres Dii, sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Sanctus Spiritus; et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus. Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum aut Dominum confiteri Christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut

Dominos dicere catholicâ religione prohibemur. Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus est. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre et Filio, non factus nec creatus, nec genitus est, sed procedens. Unus ergò Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti. Et in hâc Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ co-æternæ sibi sunt et co-æquales. Ita ut per omnia, sicut jam suprà dictum est, et Unitas in Trinitate et Trinitas in Unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur quòd Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantiâ Patris ante secula genitus, homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex animâ rationali et humana carne subsistens. Æqualis Patri secundùm divinitatem, minor Patre secundum humanitatem: qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Qui passus est pro salute nostra; descendit ad inferos: tertiâ die resurrexit à mortuis; ascendit ad cœlos; sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgent

cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem: et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum. Hæc est fides catholica, quam nisi quis fideliter firmeque crediderit, salvus esse non poterit.

ARTICULI ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

De Fide in Sacro-Sanctam Trinitatem.

I. [1] Unus est [2] vivus, et verus Deus, [3] æternus, [4] incorporeus, impartibilis, [5] impassibilis, [6] immensæ potentiæ, [7] sapientiæ ac [8] bonitatis, [9] creator et conservator omnium, tum visibilium, tum invisibilium. [10] Et in unitate hujus divinæ naturæ, tres sunt Personæ, ejusdem essentiæ, potentiæ ac æternitatis, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus.

De Verbo, sive Filio Dei, qui verus Homo factus est.

II. Filius, qui est [11] Verbum Patris, [12] ab æterno à Patre genitus, verus et æternus Deus ac Patri consubstantialis, [13] in utero beatæ virginis ex illius substantia naturam humanam assumpsit; [14] ita ut duæ naturæ, divina et humana, integre atque perfecte in

[1] 1 Cor. viii. 4. [2] 1 Thess. i. 9. [3] 1 Tim. i. 17.
[4] Joh. iv. 24. [5] Ps. cii. 26, 27. [6] Mat. xix. 26.
[7] Ps. cxlvii. 5. [8] Luc. xviii. 19. [9] Coloss. i. 16, 17.
[10] Gen. i. 26; iii. 22. Numb. vi. 24, 5, 6. Is. xlviii. 16. Mat. xxviii. 19. 2 Cor. xiii. 14. 1 Joh. v. 7. [11] Joh. i. 1.
[12] Heb. i. 5, 6, 8, 10, 11. Apoc. xxii. 13. Is. xliv. 6.
[13] Luc. i. 31. Gal. iv 4. [14] Apoc. i. 5, 6, 17, 18. Act. xx. 28.

unitate personæ fuerint inseparabiliter conjunctæ, ex quibus est unus Christus, verus Deus, et verus homo, [1]qui vere passus est, crucifixus, mortuus, et sepultus, [2]ut Patrem nobis reconciliaret, [3]esseetque hostia, non tantum pro culpa originis, verum etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

De Descensu Christi ad Inferos.

III. Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est, et sepultus, [4]ita est etiam credendus ad inferos descendisse.

De Resurrectione Christi.

IV. [5]Christus vere a mortuis resurrexit, [6]suumque corpus cum carne, ossibus, [7]omnibusque ad integritatem humanæ naturæ pertinentibus, recepit; [8]cum quibus in cœlum ascendit, [9]ibique residet, quoad extremo die [10]ad judicandos homines reversurus sit.

De Spiritu Sancto.

V. Spiritus Sanctus à [11]Patre et [12]Filio procedens [13]ejusdem est cum Patre, et Filio, essentiæ, majestatis, et gloriæ, verus, ac æternus Deus.

[1]Mat. xxvii. [2]Eph. ii. 16, 17, 18,
[3]Is. liii. 4, 5, 6 1 Joh. ii. 2. 2 Cor. v. 21.
[4]Act. ii. 27. [5]Mat. xxviii. 6. [6]Luc. xxiv. 39.
[7]Act. x. 41, 42. [8]Mar. xvi. 19. [9]Act. iii. 20, 21.
[10]Act. x. 42. [11]Joh. xv. 26. [12]1 Pet. i. 11.
[13]1 Cor. iii. 16, 17; vi. 19. Act. v. 3, 4.

De Divinis Scripturis, quod sufficiant ad Salutem.

VI. [1] Scriptura Sacra continet omnia, quæ ad salutem sunt necessaria, [2] ita ut quicquid in ea nec legitur, neque inde probari potest, non sit à quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur, aut ad salutis necessitatem requiri putetur.

Sacræ Scripturæ nomine, eos Canonicos libros Veteris et Novi Testamenti intelligimus, de quorum auctoritate, in Ecclesia nunquam dubitatum est.

De Nominibus, et Numero Librorum Sacræ Canonicæ Scripturæ Veteris Testamenti.

Genesis,	*Prior liber Paralipom,*
Exodus,	*Secund. liber Paralipom,*
Leviticus,	*Primus liber Esdræ,*
Numeri,	*Secundus liber Esdræ,*
Deuteron.,	*Liber Hester,*
Josuæ,	*Liber Job,*
Judicum,	*Psalmi,*
Ruth,	*Proverbia,*
Prior liber Samuelis,	*Ecclesiastes vel Concionator,*
Secundus liber Sam.,	*Cantica Salomonis,*
Prior liber Regum,	4. *Prophetæ Majores,*
Secund. liber Regum,	12. *Proph. Minores.*

Alios autem libros (*ut ait* Hieronymus) *legit quidem Ecclesia, ad exempla vitæ, et formandos mores: illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet, ut sunt:*

Tertius liber Esdræ,	*Liber Tobiæ,*
Quartus liber Esdræ,	*Liber Judith,*

[1] 2 Tim. iii. 15, 16, 17. [2] Mat. xv. 9.

Reliquum lib. Hester, *Historia Susannæ,*
Liber Sapientiæ, *De Bel et Draconе,*
Liber Jesu fil. Sirach., *Oratio Manassis,*
Baruch Propheta, *Prior liber Machab.,*
Canticum trium Puerorum, *Secund liber Machabæorum*

Novi Testamenti omnes libros (ut vulgo recepti sunt) recipimus, et habemus pro Canonicis.

De Veteri Testamento.

VII. [1] Testamentum vetus novo contrarium non est, [2] quandoquidem tam in veteri, quam in novo, per Christum, qui [3] unicus est mediator Dei, et hominum, Deus et homo, æterna vita humano generi est proposita. [4] Quare male sentiunt, qui veteres tantum in promissiones temporarias sperasse confingunt. [5] Quanquam lex a Deo data per Mosen (quoad ceremonias et ritus) Christianos non astringat, neque civilia ejus præcepta in aliqua republica necessario recipi debeant, [6] nihilominus tamen, ab obedientia mandatorum (quæ moralia vocantur) nullus (quantumvis Christianus) est solutus.

De Tribus Symbolis.

VIII. Symbola tria, Nicænum, Athanasii, et quod vulgo Apostolorum appellatur, [7] omnino recipienda sunt, et credenda, nam firmissimis Scripturarum testimoniis probari possunt.

[1] Mat. v. 17, 18. Act. xviii. 28. Joh. v. 39—46.
[2] Gen. iii. 15; xii. 3. Dan. xii. 2, 3. [3] 1 Tim. ii. 5.
[4] Heb. xi. 10, 14, 26, 35. [5] Gal. iii. 25; v. i. Col. ii. 16, 17. Act. xv. Heb. vii. 12, 18; [6] Jac. ii. 8, 9, 10, 11. [7] Jude iii.

De Peccato Originali.

IX. Peccatum originis [1] non est (ut fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami situm, [2] sed est vitium, et depravatio naturæ, cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati: qua fit, [3] ut ab originali justitia quam longissime distet, [4] ad malum sua natura propendeat, [5] et caro semper adversus spiritum concupiscat; [6] unde in unoquoque nascentium, iram Dei, atque damnationem meretur. [7] Manet etiam in renatis hæc naturæ depravatio. [8] Qua fit ut affectus, Græce φρονημα σαρκὸς (quod alii sapientiam, alii sensum, alii affectum, alii studium carnis interpretantur) legi Dei non subjiciatur. [9] Et quanquam renatis et credentibus, nulla propter Christum est condemnatio, [10] peccati tamen in sese rationem habere concupiscentiam, fatetur Apostolus.

De Libero Arbitrio.

X. [11] Ea est hominis post lapsum Adæ conditio, ut sese naturalibus suis viribus, et bonis operibus, ad fidem, et invocationem Dei convertere, ac præparare non possit. [12] Quare absque gratia Dei (quæ per Christum est) nos prævenientе ut velimus, et cooperante, dum volumus, ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata sunt et accepta, nihil valemus.

[1] Rom. v. 14. [2] Rom. v. 19. [3] Rom. vii. 18.
[4] Gen. viii. 21. [5] Gal. v. 17. [6] Rom. v. 18.
[7] Gal. v. 17. [8] Rom. viii. 7. [9] Rom. viii. 1.
[10] Rom. vii. 7. [11] Joh. xv. 4, 5; vi. 44. 1 Cor. ii. 14; xii. 3.
[12] Phil. ii. 13.

De Hominis Justificatione.

XI. [1] Tantum propter merita Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi per fidem, non propter opera, et merita nostra, justi coram Deo reputamur. [2] Quare sola fide nos justificari doctrina est saluberrima, ac consolationis plenissima, ut in Homilia de justificatione hominis, fusius explicatur.

De Bonis Operibus.

XII. Bona opera, quæ sunt [3] fructus fidei, et justificatos sequuntur, [4] quanquam peccata nostra expiare, et divini judicii severitatem ferre non possunt; [5] Deo tamen grata sunt, et accepta in Christo, [6] atque ex vera et viva fide necessario profluunt, [7] ut plane ex illis, æque fides viva cognosci possit, atque arbor ex fructu judicari.

De Operibus ante Justificationem.

XIII. [8] Opera quæ fiunt ante gratiam Christi, et spiritus ejus afflatum, cum ex fide Jesu Christi non prodeant, minime Deo grata sunt, [9] neque gratiam (ut multi vocant) de congruo merentur. Immo cum non sint facta, ut Deus illa fieri voluit et præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

[1] Rom. iii. 24, 25, 26. Eph. ii. 8, 9. [2] Rom. v. 1, 2.
[3] Jac. ii. 17, &c. [4] Joh i. 17. Ps. cxliii. 2.
[5] Heb. xiii. 16, 21. [6] Gal. v. 6. [7] Jac. ii. 18. Mat. vii. 16.
[8] Rom. iii. 9, 10, 19, 20, 23; viii. 7, 8. [9] Tit. iii 5.

De Operibus Supererogationis.

XIV. [1] Opera quæ supererogationis appellant, non possunt sine arrogantia et impietate prædicari. Nam illis declarant homines, non tantum se Deo reddere, quæ tenentur, sed plus in ejus gratiam facere, quam deberent; cum aperte Christus dicat; [2] cum feceritis omnia quæcunque præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus.

De Christo, qui solus est sine Peccato.

XV. [3] Christus in nostræ naturæ veritate per omnia similis factus est nobis, [4] excepto peccato, a quo prorsus erat immunis, tum in carne, tum in spiritu. [5] Venit ut agnus, absque macula, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam tolleret, [6] et peccatum (ut inquit Johannes) in eo non erat: sed nos reliqui etiam baptizati, et in Christo regenerati, [7] in multis tamen offendimus omnes. [8] Et si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

De Peccato post Baptismum.

XVI. [9] Non omne peccatum mortale post Baptismum voluntarie perpetratum, est peccatum in Spiritum Sanctum, et irremissibile. [10] Proinde lapsis a Baptismo in peccata, locus pœnitentiæ non est negandus.

[1] Luc. xviii. 11, 12, 14. [2] Luc. xvii. 10. [3] Heb. ii. 14.
[4] Heb. iv. 15. Joh. xiv. 30. 1 Pet. ii. 22.
[5] Joh. i. 29. Heb. ix. 14, 26. [6] 1 Joh. iii. 5.
[7] Jac. iii. 2. [8] 1 Joh. i. 8.
[9] Mar. iii. 28. [10] Gal. vi. 1.

[1] Post acceptum Spiritum Sanctum possumus a gratia data recedere, atque peccare, denuoque per gratiam Dei resurgere, ac resipiscere; [2] ideoque illi damnandi sunt, qui se, quamdiu hic vivant, amplius non posse peccare affirmant, [3] aut vere resipiscentibus veniæ locum denegant.

De Prædestinatione et Electione.

XVII. [4] Prædestinatio ad vitam, est æternum Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta, suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decrevit, [5] eos quos in Christo elegit ex hominum genere, [6] a maledicto et exitio liberare, atque (ut vasa in honorem efficta) per Christum, ad æternam salutem adducere. [7] Unde qui tam præclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu ejus, opportuno tempore operante, secundum propositum ejus vocantur, vocationi per gratiam parent, [8] justificantur gratis, [9] adoptantur in filios Dei, [10] unigeniti ejus Jesu Christi imagini efficiuntur conformes, [11] in bonis operibus sancte ambulant, [12] et demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem. Quemadmodum prædestinationis et electionis nostræ in Christo pia consideratio, dulcis, suavis, et ineffabilis consolationis plena est vere piis, et his qui sentiunt in se vim Spiritus Christi, facta carnis, et membra, quæ adhuc sunt super terram, mortificantem, animumque ad cœlestia et superna rapientem; tum quia fidem

[1] Rom. xi. 20. Luc. xxii. 32. [2] 1 Joh. i. 10. [3] 2 Cor. ii. 7, 8.
[4] Eph. i. 4, 5. Mat. xxv. 34. 2 Tim. i. 9. [5] 1 Pet. i. 2.
[6] Gal. iii. 13. [7] Rom. viii. 30. [8] Eph. i. 7. [9] Gal. iv. 5.
[10] Rom. viii. 29. [11] Eph. ii. 10. [12] Eph. i. 11. 1 Pet. i. 3, 4

nostram de æterna salute consequenda per Christum plurimum stabilit atque confirmat, tum quia amorem nostrum in Deum vehementer accendit: ita hominibus curiosis, carnalibus, et Spiritu Christi destitutis, ob oculos perpetuo versari prædestinationis Dei sententiam, perniciosissimum est præcipitium, unde illos diabolus protrudit, vel in desperationem, vel in æque perniciosam impurissimæ vitæ securitatem; deinde promissiones divinas sic amplecti oportet, ut nobis in sacris literis [1] generaliter propositæ sunt, [2] et Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est, quam in verbo Dei habemus, diserte revelatam.

De Sperandâ æternâ salute tantum in Nomine Christi.

XVIII. Sunt et illi anathematizandi, qui dicere audent unumquemque in lege aut secta quam profitetur esse servandum, modo juxta illam et lumen naturæ accurate vixerit, [3] cum sacræ literæ tantum Jesu Christi nomen prædicent, in quo salvos fieri homines oporteat.

De Ecclesia.

XIX. Ecclesia Christi visibilis est [4] cœtus fidelium, in quo verbum Dei purum prædicatur, et Sacramenta, quoad ea quæ necessario exiguntur, juxta Christi institutum recte administrantur. Sicut erravit Ecclesia Hierosolymitana, Alexandrina, et Antioche-

[1] Joh. iii. 16. 1 Tim. ii. 4, 6. [2] Luc. x. 25, 26, 27, 28.
[3] Joh xiv. 6. Act. iv. 12. 1 Joh. v. 11, 12. [4] Act. ii. 42.

na; ita et erravit Ecclesia Romana, non solum quoad agenda, et ceremoniarum ritus, verum in his etiam quæ credenda sunt.

De Ecclesiæ Auctoritate.

XX. Habet [1] Ecclesia ritus sive ceremonias statuendi jus, et [2] in fidei controversiis auctoritatem; quamvis [3] Ecclesiæ non licet quicquam instituere, quod verbo Dei scripto adversetur, nec [4] unum Scripturæ locum sic exponere potest, ut alteri contradicat. Quare [5] licet Ecclesia sit divinorum librorum testis et conservatrix, attamen ut [6] adversus eos nihil decernere, [7] ita præter illos, nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

De Auctoritate Conciliorum Generalium.

XXI. Generalia Concilia, sine [8] jussu et voluntate principum congregari non possunt, et ubi convenerint, quia ex hominibus constant, qui non omnes Spiritu et verbo Dei reguntur, et errare possunt, et interdum errarunt, etiam in his quæ ad Deum pertinent: ideoque quæ ab illis constituuntur, ut ad salutem necessaria, neque robur habent, neque auctoritatem, nisi ostendi possint e sacris literis esse desumpta.

De Purgatorio.

XXII. Doctrina Romanensium [9] de Purgatorio, [10] de

[1] Esth. ix. 27, 28. Joh. x. 22, 23. [2] Tit. iii. 10. 1 Tim. i. 3. [3] Mat. xxviii. 20. [4] Rom. iii. 4. [5] Rom. iii. 2. [iii. 15. [6] Act. iv. 19. [7] Gal. iii. 15; i. 8, 9. [8] Rom. xiii. 1. [9] 1 Joh. i. 7. Apoc. xiv. 13. [10] 1 Joh. i. 9.

indulgentiis, [1] de veneratione et adoratione, tum imaginum, [2] tum reliquiarum, [3] nec non de invocatione sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, et nullis Scripturarum testimoniis innititur: immo verbo Dei contradicit.

De Ministrando in Ecclesia.

XXIII. [4] Non licet cuiquam sumere sibi munus publice prædicandi, aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad hæc obeunda legitime vocatus et missus. Atque illos legitime vocatos et missos existimare debemus, qui per [5] homines, quibus potestas vocandi ministros, atque mittendi in vineam Domini, publice concessa est in Ecclesia, cooptati fuerint, et adsciti in hoc opus.

De loquendo in Ecclesia, lingua quam Populus intelligit.

XXIV. [6] Lingua populo non intellecta, publicas in Ecclesia preces peragere, aut Sacramenta administrare, verbo Dei, et primitivæ Ecclesiæ consuetudini plane repugnat.

De Sacramentis.

XXV. Sacramenta a Christo instituta, non tantum sunt notæ professionis Christianorum, sed [7] certa quædam potius testimonia, et efficacia signa gratiæ, atque bonæ in nos voluntatis Dei, per quæ invisibiliter ipse

[1] Deut. xxvii. 15. 1 Joh. v. 21. [2] Act. viii. 2. 2 Reg. xviii. 4.
[3] Psal. lxv. 2. Apoc. xix. 10. [4] Heb. v. 4. Act. xx. 28.
[5] Tit. i. 5. [6] 1 Cor. xiv.
[7] Act. ii. 38. 1 Cor. x. 16. Eph. v. 26.

in nos operatur, nostramque fidem in se non solum excitat, verum etiam confirmat.

[1] Duo a Christo Domino nostro in Evangelio instituta sunt Sacramenta, scilicet [2] Baptismus et [3] Cœna Domini.

Quinque illa vulgo nominata Sacramenta: scilicet Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, et Extrema Unctio, pro Sacramentis Evangelicis habenda non sunt, ut quæ, partim a prava Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitæ status sunt in Scripturis quidem probati; sed Sacramentorum eandem cum Baptismo et Cœna Domini rationem non habentes, ut quæ signum aliquod visibile, seu cæremoniam, a Deo institutam non habeant.

Sacramenta non in hoc instituta sunt a Christo ut spectarentur, aut circumferrentur, sed ut rite illis uteremur, et in his duntaxat qui digne percipiunt, salutarem habent effectum: Qui vero indigne percipiunt, damnationem (ut inquit [4] Paulus) sibi ipsis acquirunt.

De Vi Institutionum Divinarum, quod eam non tollat malitia Ministrorum.

XXVI. [5] Quamvis in Ecclesia visibili, bonis mali semper sunt admixti, atque interdum ministerio Verbi et Sacramentorum administrationi præsint; tamen cum non suo, sed Christi nomine agant, ejusque mandato et auctoritate ministrent, [6] illorum ministerio uti licet, [7] cum in verbo Dei audiendo, tum in Sacramentis percipiendis. [8] Neque per illorum malitiam effectus

[1] Act. ii. 38. 1 Cor. x. 16. Eph. v. 26. [2] Mat. xxviii. 19.
[3] Cor. xi. 23, 24, 25, 26. [4] 1 Cor. xi. 29. [5] 1 Cor. iii. 5
[6] Mat. xxiii. 3. [7] Phil. i. 15, 16, 18. [8] 1 Cor. iii. 7

institutorum Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad eos qui fide, et rite sibi oblata percipiunt, quæ propter institutionem Christi et promissionem efficacia sunt, licet per malos administrentur.

Ad [1] Ecclesiæ tamen disciplinam pertinet, ut in malos ministros inquiratur, accusenturque ab his qui eorum flagitia noverint; [2] atque tandem justo convicti judicio deponantur.

De Baptismo.

XXVII. Baptismus non est tantum professionis signum, ac discriminis nota, qua Christiani a non Christianis discernantur, sed etiam est [3] signum regenerationis, per quod, tanquam per instrumentum, recte Baptismum suscipientes, [4] Ecclesiæ inseruntur, [5] promissiones de remissione peccatorum, atque [6] adoptione nostra in filios Dei per Spiritum Sanctum visibiliter obsignantur, fides [7] confirmatur, et vi divinæ invocationis gratia augetur.

Baptismus parvulorum omnino in Ecclesia retinendus est, ut [8] qui cum Christi institutione optime congruat.

De Cœna Domini.

XXVIII. Cœna Domini non est tantum [9] signum mutuæ benevolentiæ Christianorum inter se, [10] verum

[1] 1 Tim. v. 19. [2] 3 Joh. 10. [3] Tit. iii. 5.
[4] 1 Cor. xii. 13. [5] Heb. x. 22. Act. xxii. 16.
[6] Gal. iii. 26, 27. [7] Act. ii. 41, 42.
[8] Mat. xxviii. 19. 1 Cor. vii. 14. Marc. x. 14.
[9] 1 Cor. x. 17. [10] Mat. xxvi. 26, 27, 28. Luc. xxii. 19. 20

potius est Sacramentum nostræ per mortem Christi redemptionis.

Atque adeo, rite, digne, et cum fide sumentibus, [1] panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: similiter poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi.

Panis et Vini Transubstantiatio in Eucharistia, ex sacris literis probari non potest. Sed [2] apertis Scripturæ verbis adversatur, Sacramenti naturam evertit et multarum superstitionum dedit occasionem.

[3] Corpus Christi datur, accipitur, et manducatur in Cœna, tantum cœlesti et spiritali ratione: Medium autem quo Corpus Christi accipitur, et manducatur in Cœna, [4] fides est.

Sacramentum Eucharistiæ, ex institutione Christi non servabatur, circumferebatur, elevabatur, nec adorabatur.

De manducatione Corporis Christi, et impios illud non manducare.

XXIX. Impii, et fide viva destituti, licet carnaliter et visibiliter (ut Augustinus loquitur) corporis, et sanguinis Christi Sacramentum, dentibus premant, [5] nullo tamen modo Christi participes efficiuntur. Sed [6] potius tantæ rei Sacramentum, seu Symbolum, ad judicium sibi manducant, et bibunt.

De Utraque Specie.

XXX. [7] Calix Domini laicis non est denegandus,

[1] 1 Cor. x. 16. [2] 1 Cor. xi. 27, 28. [3] Joh. vi. 63.
[4] Joh. vi. 35. [5] 1 Joh. i. 6, 7. [6] 1 Cor. xi. 29
[7] 1 Cor. xi. 26, 17, 28.

utroque enim pars Dominici Sacramenti, ex Christi institutione et præcepto, omnibus Christianis ex æquo administrari debet.

De unica Christi Oblatione in Cruce perfecta.

XXXI. Oblatio [1] Christi semel facta, perfecta est redemptio, propitiatio, et satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus, quam actualibus. [2] Neque præter illam unicam est ulla alia pro peccatis expiatio; unde missarum sacrificia, quibus vulgo dicebatur, sacerdotem offerre Christum in remissionem pœnæ, aut culpæ, pro vivis et defunctis, [3] blasphema figmenta sunt, et perniciosæ imposturæ.

De Conjugio Sacerdotum.

XXXII. [4] Episcopis, Presbyteris, et Diaconis nullo mandato divino præceptum est, ut aut cœlibatum voveant, aut a matrimonio abstineant. [5] Licet igitur etiam illis, ut cæteris omnibus Christianis, ubi hoc ad pietatem magis facere judicaverint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere.

De Excommunicatis Vitandis.

XXXIII. [6] Qui per publicam Ecclesiæ denunciationem rite ab unitate Ecclesiæ præcisus est, et excommunicatus, is [7] ab universa fidelium multitudine (donec per pœnitentiam publice reconciliatus fuerit

[1] Heb. x. 10. 1 Joh. ii. 2. [2] Heb. x. 26. [3] Heb. ix. 25, 26
[4] 1 Tim. iii. 2, 11. 1 Cor. ix. 5. [5] Heb. xiii. 4.
[6] 1 Cor. v. 3, 4, 5. [7] 1 Cor. v. 11, 13.

arbitrio judicis competentis) [1]habendus est tanquam ethnicus et publicanus.

De Traditionibus Ecclesiasticis.

XXXIV. [2]Traditiones atque ceremonias easdem, non omnino necessarium est esse ubique, aut prorsus consimiles. Nam et variæ semper fuerunt, et mutari possunt, pro regionum, temporum, et morum diversitate, modo nihil contra verbum Dei instituatur.

Traditiones et ceremonias Ecclesiasticas, quæ cum verbo Dei non pugnant, et sunt auctoritate publica institutæ atque probatæ, quisquis privato consilio volens, et data opera, publice violaverit, is, ut qui peccat in publicum [3]ordinem Ecclesiæ, quique lædit [4]auctoritatem magistratus, et qui infirmorum [5]fratrum conscientias vulnerat, publice, ut cæteri [6]timeant, arguendus est.

Quælibet Ecclesia particularis, sive nationalis auctoritatem habet instituendi, mutandi aut abrogandi ceremonias aut ritus Ecclesiasticos, humana tantum auctoritate institutos, modo omnia ad [7]ædificationem fiant.

De Homiliis.

XXXV. Tomus secundus Homiliarum, quarum singulos titulos huic articulo subjunximus, continet piam et salutarem doctrinam, et his temporibus necessariam, non minus quam prior. Tomus Homiliarum, quæ editæ sunt tempore Edvardi Sexti: Itaque eas

[1]Mat. xviii. 17. [2]Rom. xiv. 17. [3]1 Cor. xi. 16; xiv. 40.
[4]Rom. xiii. 1. [5]1 Cor. viii. 12. [6]1 Tim. v. 20.
[7]Rom. xiv. 19

in Ecclesiis per ministros diligenter, et clare, ut a populo intelligi possint, recitandas esse judicavimus.

De Nominibus Homiliarum.

Of the right Use of the Church.
Against Peril of Idolatry.
Of repairing and keeping clean of Churches.
Of good works: first, of Fasting.
Against Gluttony and Drunkenness.
Against Excess in Apparel.
Of Prayer.
Of the Place and Time of Prayer.
That Common Prayers and Sacraments ought to be ministered in a known tongue.
Of the reverent Estimation of God's Word.
Of Alms-doing.
Of the Nativity of Christ.
Of the Passion of Christ.
Of the Resurrection of Christ.
Of the worthy receiving of the Sacrament of the Body and Blood of Christ.
Of the Gifts of the Holy Ghost.
Of the Rogation-days.
Of the State of Matrimony.
Of Repentance.
Against Idleness.
Against Rebellion.

De Episcoporum et Ministrorum Consecratione.

XXXVI. Libellus de consecratione Archiepiscoporum et Episcorum, et de ordinatione Presbytero-

rum et Diaconorum, editus nuper temporibus Edvardi VI. et auctoritate Parliamenti illis ipsis temporibus confirmatus, [1] omnia ad ejusmodi consecrationem et ordinationem necessaria continet, et nihil habet quod ex se sit aut superstitiosum aut impium: itaque quicunque juxta ritus illius libri consecrati aut ordinati sunt, ab anno secundo prædicti regis Edvardi usque ad hoc tempus, aut in posterum juxta eosdem ritus consecrabuntur aut ordinabuntur, rite atque ordine, atque legitime statuimus esse, et fore consecratos et ordinatos.

De Civilibus Magistratibus.

XXXVII. Regia Majestas in hoc Anglise regno, ac cæteris ejus dominiis, summam habet potestatem, ad quam omnium statuum hujus regni, sive illi Ecclesiastici sint, sive Civiles, in omnibus causis, suprema gubernatio pertinet, et nulli externæ jurisdictioni est subjecta, nec esse debet.

Cum Regiæ Majestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, [2] non damus Regibus nostris, aut verbi Dei, aut Sacramentorum administrationem, quod etiam injunctiones ab Elizabetha Regina nostra, nuper editæ apertissime testantur; sed eam tantum prærogativam, quam in Sacris Scripturis a Deo ipso, omnibus piis Principibus, videmus semper [illegible] attributam, hoc est, ut [3] omnes status atque ordines fidei suæ a Deo commissos, sive illi [4] Ecclesias-

[illegible] Matt. vi. 6; xiii. 3. 1 Tim. iv. 14. 2 Tim. i. 6.
[illegible] 2 Chron. xxvi. 16, &c. [3] Rom. xiii. 1. 1 Pet. ii. 13.
[4] 1 Reg. ii. 26. 27, 28, 29, &c.

tici sint, sive Civiles, in officio contineant, et contumaces, ac delinquentes, gladio civili coerceant.

[1] Romanus Pontifex nullam habet jurisdictionem in hoc regno Angliæ.

[2] Leges regni possunt Christianos propter capitalia et gravia crimina, morte punire.

[3] Christianis licet, ex mandato magistratus, arma portare et justa bella administrare.

De illicita bonorum Communicatione.

XXXVIII. Facultates et bona [4] Christianorum non sunt communia, quoad jus et possessionem (ut quidam Anabaptistæ falso jactant) [5] debet tamen quisque de his quæ possidet, pro facultatum ratione, pauperibus eleemosynas benigne distribuere.

De Jurejurando.

XXXIX. [6] Quemadmodum juramentum vanum et temerarium a Domino nostro Jesu Christo, et Apostolo ejus Jacobo, Christianis hominibus interdictum esse fatemur; ita Christianorum religionem minime prohibere censemus, quin [7] jubente magistratu in causa fidei et charitatis jurare liceat, modo id fiat juxta Prophetæ doctrinam, in [8] justitia, in judicio et veritate.

[1] 1 Pet. iv. 15. [2] Rom. xiii. 4. [3] Luc. iii. 14. Act. x. 1, 2.
[4] Act. v. 4. Rom. xiii. 7, 8. 2 Thess. iii. 12.
[5] Mat. xxv. 34, &c. 1 Tim. vi. 18. [6] Mat. v. 34. Jac. v. 12
[7] Mat. xxvi. 63, 64. [8] Jer. iv. 2.

SANCTI AURELII AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

CONFESSIONES.

LIBRI TREDECIM IN COMPENDIUM REDACTI.

Magnus es, Domine, et laudabilis valde: magna virtus tua, et sapientiæ tuæ non est numerus. Et laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ; et homo circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui, et testimonium quia superbis resistis, et tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ. Tu excitas ut laudare te delectet, *Quia Fecisti* nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Da mihi, Domine, scire et intelligere, utrum sit prius invocare te, an laudare te; et scire te prius sit, an invocare te. Sed quis te invocat, nesciens te? Aliud enim pro alio potest invocare nesciens te. An potius invocaris ut sciaris? Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent sine prædicante? Et laudabunt Dominum qui requirunt eum. Quærentes enim invenient eum, et invenientes laudabunt eum. Quæram te, Domine, invocans te, et invocem te credens in te, prædicatus enim es nobis. Invocat te, Domine, fides mea quam dedisti mihi, quam inspirasti mihi per humanitatem Filii tui, per ministerium prædicatoris tui.

Et quomodo invocabo Deum meum, Deum et Do

minum meum? Quoniam utique in me ipsum eum vocabo, cum invocabo eum. Et quis locus est in me, quo veniat in me Deus meus; quo Deus veniat in me, Deus qui fecit cœlum et terram. Itane, Domine Deus meus, est quidquam in me quod capiat te? An verè cœlum et terra quæ fecisti, et in quibus me fecisti, capiunt te? An quia sine te non esset quidquid est, fit ut quidquid est capiat te? Quoniam itaque et ego sum, quid peto ut venias in me, qui non essem, nisi esses in me? Non enim ego jam in inferis, et tamen etiam ibi es. Nam et si descendero in infernum, ades. Non ergo essem, Deus meus, non omnino essem nisi esses in me. An potius non essem, nisi essem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia? Etiam sic, Domine, etiam sic. Quo te invoco, cum in te sim? Aut unde venias in me? Quo enim recedam extra cœlum et terram, ut inde in me veniat Deus meus, qui dixit, *Cœlum et terram ego impleo?*

Capiunt ergone te cœlum et terra, quoniam tu implet ea? An imples, et restat, quoniam non te capiunt? Et quo refundis quidquid, impleto cœlo et terra, restat ex te? An non opus habes, ut quoquam continearis, qui contines omnia; quoniam quæ imples, continendo imples?

Quis mihi dabit adquiescere in te? Quis mihi dabit ut venias in cor meum, et inebries illud, ut obliviscar mala mea, et unum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? Miserere ut loquar. Quid tibi sum ipse ut amari te jubeas a me, et nisi faciam irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? Parva ne ipsa est, si non amem te? Hei mihi. Dic mihi per miserationes tuas, Domine Deus meus, quid sis mihi. Dic

animæ meæ: Salus tua ego sum. Sic dic ut audiam. Ecce aures cordis mei ante te, Domine; aperi eas, et dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Curram post vocem hanc, et apprehendam te. Noli abscondere a me faciem tuam: moriar, ne moriar, ut eam videam. Angusta est domus animæ meæ quo venias ad eam: dilatetur abs te. Ruinosa est: refice eam. Habet quæ offendant oculos tuos; fateor et scio: sed quis mundabit eam? aut cui alteri, præter te, clamabo? Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Credo propter quod et loquor: Domine, tu scis. Non judicio contendo tecum qui veritas es; et ego nolo fallere me ipsum, ne mentiatur iniquitas mea sibi. Non ergo judicio contendo tecum; quia si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Sed tamen sine me loqui apud misericordiam tuam, me terram et cinerem. Ecce infantia mea olim mortua est, et ego vivo. Tu autem, Domine, qui et semper vivis, et nihil moritur in te, quoniam ante primordia seculorum, et ante omne quod vel ante dici potest, tu es, et Deus es Dominusque omnium quæ creasti.

Exaudi Deus. Væ peccatis hominum! Et homo dicit hæc, et misereris ejus, quoniam tu fecisti eum, et peccatum non fecisti in eo. Quis me commemorat peccatum infantiæ meæ? Quoniam nemo mundus a peccato coram te, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Quod si et in iniquitate conceptus sum, et in peccatis me mater mea in utero aluit; ubi oro te, Deus meus, ubi, Domine, ego servus tuus ubi aut quando innocens fui? Sed ecce omitto illud tempus. Nonne ab infantia huc pergens veni in pueritiam; vel

potius ipsa in me venit, et successit infantiæ? Deus Deus meus, quas ibi miserias expertus sum et ludificationes, quando quidem recte mihi vivere puero id proponebatur; obtemperare monentibus, ut in hoc sæculo florerem et excellerem linguosis artibus, ad honorem hominum et falsas divitias famulantibus. Inde in scholam datus sum ut discerem litteras, in quibus quid utilitatis esset ignorabam miser; et tamen si segnis in discendo essem, vapulabam. Domine Deus meus, peccabam faciendo contra præcepta parentum et magistrorum. Non enim meliora eligens, inobediens eram, sed amore ludendi, amans in certaminibus superbas victorias. Vide ista, Domine, misericorditer, et libera nos jam invocantes te: libera etiam eos qui nondum te invocant, ut invocent te, et liberes eos.

Audieram enim adhuc puer ego de vita æterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri descendentis ad superbiam nostram, et signabar jam signo crucis ejus. Vidisti, Deus meus, quoniam custos meus jam eras, quo motu animi et qua fide baptismum Christi tui, Dei et Domini mei, flagitavi a pietate matris meæ, et matris omnium nostrum ecclesiæ tuæ. Quot et quanti fluctus impendere tentationum post pueritiam videbantur, noverat eos jam illa mater. In ipsa tamen pueritia, de qua mihi minus quam de adolescentia metuebatur, non amabam litteras, et me in eas urgeri oderam; et urgebar tamen, et bene mihi fiebat, nec faciebam ego bene: non enim discerem, nisi cogerer. Nemo autem invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit.

Quid autem erat caussæ cur græcas litteras oderam quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem mihi

satis exploratum est. Adamaveram enim latinas, non quas primi magistri, sed quas docent qui Grammatici vocantur. Nam illas primas ubi legere et scribere et numerare discitur, non minus onerosas pœnalesque habebam, quam omnes græcas. Unde tamen et hoc nisi de peccato et vanitate vitæ? Nam utique meliores, quia certiores erant primæ illæ litteræ, quam illæ quibus tenere cogebar Æneæ nescio cujus errores, oblitus errorum meorum; et plorare Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem, cum interea meipsum in his a te morientem, Deus vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserante seipsum, et flente Didonis mortem quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te, Deus lumen cordis mei, et panis oris intus animæ meæ, et virtus maritans mentem meam et sinum cogitationis meæ? Exaudi, Domine, deprecationem meam, ne deficiat anima mea sub disciplina tua; neque deficiam in confitendo tibi miserationes tuas, quibus eruisti me ab omnibus viis meis pessimis; ut dulcescas mihi super omnes seductiones quas sequebar, et amem te validissime et amplexer manum tuam totis præcordiis meis, et eruas me ab omni tentatione usque in finem. Vide Domine Deus, et patienter vide, quomodo diligenter observent filii hominum pacta litterarum, et syllabarum accepta a prioribus locutoribus, et a te accepta æterna pacta perpetuæ salutis negligant; ut qui, sine aspiratione syllabæ primæ, ominem dixerit, displiceat magis hominibus, quam si contra tua præcepta hominem oderit, cum sit homo. Deus meus: gratias tibi de donis tuis, sed tu mihi ea serva. Ita enim servabis me; et au-

gebantur, et perficientur quæ dedisti mihi, et ero ipse tecum; quia et ut sim, tu dedisti mihi.

Recordari volo transactas fœditates meas et carnales corruptiones animæ meæ; non quod eas amem; sed ut amem te, Deus meus. Et quid erat quod me delectabat, nisi amare et amari? Sed non tenebatur modus ab animo usque ad animum, quatenus est luminosus limes amicitiæ, sed exhalabantur nebulæ de limosa concupiscentia carnis, et obnubilabant atque obfuscabant cor meum. Invaluerat super me ira tua; et nesciebam. Obsurdueram stridore catenæ mortalitatis meæ, pœna superbiæ animæ meæ, et ibam longius alte, et sinebas. Efferbui miser sequens fluxus mei impetum relicto te; et excessi omnia legitima tua, nec evasi flagella tua: quis enim hoc mortalium? Ubi eram; et quam longe exsulabam a deliciis domus tuæ, anno illo sextodecimo ætatis carnis meæ! Anno quidem illo intermissa erant studia mea. Hei mihi, et audeo dicere tacuisse te, Deus meus, cum irem abs te longius. Itane tu tacebas tunc mihi? Et cujus erant nisi tua verba illa per matrem meam, fidelem tuam, quæ cantasti in aures meas? Nec inde descendit in cor, ut facerem illud. Furtum certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Et ego furtum facere volui et feci, nulla compulsus egestate nec penuria sed sagina iniquitatis. Nec ea re volebam frui quam furto appetebam; sed ipso furto et peccato. Arbor erat pirus in vicinia vineæ nostræ pomis onusta, nec forma nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque adsportandam, nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempesta, quo usque ludum de pestilentiæ

more in areis produxeramus; et abstulimus inde onera ingentia, non ad nostras epulas, sed vel projicienda porcis, etiam si aliquid inde comedimus; dum tamen fieret a nobis quod eo liberet quo non liceret. Ecce cor meum, Deus, quod miseratus es in imo abyssi. Quem fructum habui miser aliquando in iis quæ nunc recolens erubesco: maxime in illo furto in quo ipsum furtum amavi? Et tamen solus id non fecissem. Amavi ibi etiam consortium reorum cum quibus id feci? Quid erat ille affectus animi? Certe enim plane turpis erat nimis; et, væ mihi erat qui habebam illum. Delicta quis intelligit? Risus erat, quasi titillato corde, quod fallebamus eos qui hæc a nobis fieri non putabant, et vehementer nolebant. O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis, ex ludo et joco nocendi aviditas, et alieni damni appetitus: nulla lucri mei, nulla ulciscendi libidine: sed cum dicitur: Eamus, faciamus; et pudet non esse impudentem.

Rapiebant me spectacula theatrica plena imaginibus miseriarum mearum, et fomitibus ignis mei. Quid est quod ibi homo vult dolere, cum spectat luctuosa atque tragica quæ tamen pati ipse nollet? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator, et dolor ipse est voluptas ejus. Quid est, nisi miserabilis insania? At ego tunc miser dolere amabam, et quærebam ut esset quod dolerem, quando mihi in ærumna aliena, et falsa, et saltatoria, ea magis placebat actio histrionis, meque alliciebat vehementius, qua mihi lacrymæ excutiebantur. Quid autem mirum cum infelix pecus aberrans a grege tuo, et impatiens custodiæ tuæ turpi scabie fœdarer? Talis vita mea, numquid vita erat, Deus

meus? Ausus sum etiam in celebritate sollemnitatum tuarum, intra parietes ecclesiæ tuæ concupiscere et agere negotium procurandi fructus mortis: unde me verberasti gravibus pœnis; sed nihil ad culpam meam, o tu, Deus meus, refugium meum a terribilibus nocentibus in quibus vagatus sum, amans vias meas et non tuas, amans fugitivam libertatem. Habebant et illa studia, quæ honesta vocabantur, ductum suum in tuentem fora litigiosa, ut excellerem in eis, hoc laudabilior, quo fraudulentior. Usitato jam discendi ordine perveneram in librum quemdam cujusdam Ciceronis. Ille liber mutavit affectum meum, et ad teipsum, Domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili; et surgere cœperam ut ad te redirem. Quomodo ardebam, Deus meus, revolare a terrenis ad te! et nesciebam quid ageres mecum. Apud te est enim sapientia. Hoc solum me in tanta flagrantia refrangebat, quod nomen Christi non erat ibi. Quoniam hoc nomen secundum misericordiam tuam, Domine, hoc nomen Salvatoris mei filii tui, in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum præbiberat, et alte retinebat, et quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum et expolitum et veridicum, non me totum rapiebat. Itaque institui animum intendere in Scripturas Sanctas, ut viderem quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris; sed incessu humilem, successu excelsam, et velatam mysteriis; et eram non ego talis ut intrare in eam possem, aut inclinare cervicem ad ejus gressus. Non enim sicut modo loquor, ita sensi

cum adtendi ad illam Scripturam; sed visa est mihi indigna quam Tullianæ dignitati comparārem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus; et acies mea non penetrabat interiora ejus. Verumtamen illa erat quæ cresceret cum parvulis; sed ego dedignabar esse parvulus, et turgidus fastu mihi grandis videbar.

Incidi in homines superbe delirantes, et carnales nimis et loquaces in quorum ore laquei diaboli. Per idem tempus annorum novem, ab undevicesimo anno ætatis meæ, usque ad duodetricesimum, seducebamur et seducebamus, falsi atque fallentes in variis cupiditatibus, et palam per doctrinas quas liberales vocant, occulte autem falso nomine religionis. Heic superbi, ibi superstitiosi, ubique vani. In illis annis, quo primum tempore in municipio quo natus sum docere cœperam, comparaveram amicum societate studiorum nimis carum, coævum mihi et conflorentem flore adolescentiæ. Mecum puer creverat, et pariter in scholam ieramus, pariterque luseramus. Sed nondum erat sic amicus, quamquam ne tunc quidem sicuti est vera amicitia; quia non est vera, nisi cum eam tu adglutinans inter inhærentes tibi caritate diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Sed tamen dulcis erat nimis, coacta fervore parilium studiorum. Nam et a fide vera, quam non germanitus et penitus adolescens tenebat, deflexeram ego eum in superstitiosas fabellas et perniciosas, propter quas plangebat me mater. Mecum jam errabat in animo homo ille, et non poterat anima mea sine illo. Et ecce tu, Deus ultionum et misericordiarum simul, qui convertis nos ad te miris modis, ecce abstulisti hominem de hac vita, cum vix explevisset annum in

amicitia mea, suavi mihi super omnes suavitates illius vitæ meæ. Quid tunc fecisti, Deus meus, et quam investigabilis abyssus judiciorum tuorum? Cum enim laboraret ille febribus, jacuit diu sine sensu in sudore lethali. Et cum desperaretur, baptizatus est nesciens, me non curante, et præsumente id retinere potius animam ejus quod a me acceperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longe autem aliter erat; nam recreatus est et salvus factus. Statimque ut primum cum eo potui loqui, tentavi apud illum irridere, tamquam et illo irrisuro mecum baptismum quem acceperat mente atque sensu absentissimus, sed tamen jam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili et repentina libertate, ut si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem. Ergo autem stupefactus, distuli omnes motus meos, ut convalesceret prius, esset que idoneus viribus valetudinis, cum quo agere possem quod vellem. Sed ille abreptus dementiæ meæ ut apud te servaretur consolationi meæ, post paucos dies, me absente, repetitur febribus et defungitur. Beatus qui amat te; et amicum in te; et inimicum propter te. Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari sunt qui non amittitur. Et quis est iste nisi Deus noster, Deus qui fecit cœlum et terram, et implet ea, quia implendo ea fecit ea? Te nemo amittit, nisi qui dimittit: et qui dimittit quo it aut quo fugit, nisi a te placido ad te iratum? Nam ubi non invenit legem tuam in pœna sua? Et lex tua veritas, et veritas tu.

A Domino gressus hominis diriguntur; et viam ejus volet. Egisti ergo mecum ut mihi persuaderetur Romam pergere, et potius ibi docere quod docebam

Carthagine. Et ecce excipion ibi flagello ægritudinis corporalis, et ibam ad inferos, portans omnia mala quæ commiseram et in te et in me et in alios, multa et gravia super originalis peccati vinculum quo omnes in Adam morimur. Non enim quidquam eorum mihi donaveras in Christo; nec solverat ille in cruce sua inimicitias, quas tecum contraxeram peccatis meis. Recreasti me ab illa ægritudine, et salvum fecisti filium ancillæ tuæ, tunc interim corpore, ut esset cui salutem meliorem atque certiorem dares. Et veni Mediolanum ad Ambrosium Episcopum in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, cujus tunc eloquia strenue ministrabant adipem frumenti tui et sobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te nesciens, ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paterne ille homo Dei, et peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primo quidem non tamquam doctorem veri, quod in ecclesia tua prorsus desperabam, sed tamquam hominem benignum in me. Et studiose audiebam disputantem in populo, non intentione qua debui, sed quasi explorans ejus facundiam. Sed longe est a peccatoribus salus, qualis ego tunc aderam, et tamen propinquabam sensim et nesciens. Cum enim non satagerem discere quæ dicebat, sed tantum audire, veniebant in animum meum simul cum verbis, quæ diligebam, res etiam quas negligebam.

Gaudebam, Deus meus, quod Ecclesia unica, corpus Unici tui, in qua mihi nomen Christi infanti est inditum, non saperet infantiles nugas. Gaudebam etiam quod vetera scripta Legis et Prophetarum jam non illo oculo mihi legenda proponerentur, quo antea

videbantur absurda, cum arguebam tamquam ita sentientes sanctos tuos; verum autem non ita sentiebant: et tamquam regulam diligentissime commendaret, sæpe in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium lætus audiebam; *Littera occidit, spiritus autem vivificat:* cum ea quæ ad litteram perversitatem docere videbantur, remoto mystico velamento spiritaliter aperiret, non dicens quod me offenderet, quamvis ea diceret, quæ utrum vera essent adhuc ignorarem. Ex hoc tamen quoque jam præponens doctrinam catholicam, modestius ibi minimeque fallaciter sentiebam juberi ut crederetur quod non demonstrabatur, quam illic temararia pollicitatione scientiæ credulitatem irrideri; et postea tam multa fabulosissima et absurdissima, quia demonstrari non poterant, credenda imperari. Deinde paulatim tu, Domine, manu mitissima et misericordissima pertractans et componens cor meum, consideranti quam innumerabilia crederem quæ non viderem, neque cum gererentur adfuissem; sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus quæ non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis; quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus: postremo quam inconcussa fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem: Persuasisti mihi non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus auctoritate fundasti; sed qui non crederent, esse culpandos. Sed id credebam aliquando robustius, aliquando exilius; semper tamen credidi et esse te, et curam nostri gerere; etiam si ignorabam vel quid

sentiendum esset de substantia tua, vel quæ via duceret aut reduceret ad te. Ideoque cum essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, et ob hoc nobis esset opus auctoritate sanctarum litterarum, jam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes jam terras auctoritatem, nisi et per ipsam tibi credi et per ipsam te quæri voluisses. Jam enim absurditatem quæ me in illis litteris solebat offendere, cum multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem referebam: eoque mihi illa venerabilior et sacrosancta fide dignior apparebat auctoritas, quo et omnibus ad legendum esset in promtu, et secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret, verbis apertissimis et humillimo genere loquendi se cunctis præbens, et exercens intentionem eorum, qui non sunt leves corde. Cogitabam hæc et aderas mihi; suspirabam, et audiebas me; fluctuabam et gubernabas me; ibam per viam sæculi latam, nec deserebas. Inhiabam honoribus, lucris, conjugio; et tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere quod non eras tu. Vide cor meum, Domine, qui voluisti ut hoc recordarer et confiterer tibi. Nunc tibi inhæreat anima mea. Quam misera erat! et sensum vulneris tu pungebas, ut relictis omnibus converteretur ad te qui es super omnia, et sine quo nulla essent omnia; converteretur et sanaretur. Tibi laus, tibi gloria, fons misericordiarum. Ego fiebam miserior, et tu propinquior. Aderat jam jamque dextera tua rapturа me de cœno, et ablatura me, et ignorabam. Nec me

revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, attamen per varias quidem opiniones, numquam recessit de pectore meo.

Jam mortua erat adolescentia mea mala et nefanda, et ibam in juventutem, quanto ætate major, tanto vanitate turpior. Tu vero, Domine, in æternum manes, et non in æternum irasceris nobis, quoniam miseratus es terram et cinerem, et placuit in conspectu tuo reformare deformia mea; et stimulis internis agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per interiorem adspectum certus esses. Et residebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ, acies conturbata et contenebrata mentis meæ acri collyrio salubrium dolorum de die in diem sanabatur. Et primo volens ostendere mihi, quam resistas superbis, humilibus autem des gratiam, et quanta misericordia tua demonstrata sit hominibus via humilitatis, quod Verbum tuum caro factum est, et habitavit inter homines: procurasti mihi per quemdam hominem, quosdam Platonicorum libros ex græca lingua in latinam versos. Ibi legi non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus; quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: quod factum est in eo, vita est; et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen; sed Verbum Dei Deus est lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, et mundus per ip-

sum factus est, et mundus eum non cognovit. Quia vero in sua propria venit, et sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus: non ibi legi. Sed tunc lectis Platonicorum illis libris, postea quam inde admonitus quærere incorpoream veritatem, invisibilia tua per ea quæ facta sunt intellecta conspexi, certus esse te et infinitum esse, nec tamen per locos finitos infinitosve diffundi; et vere te esse qui semper idem ipse esses, cætera vero ex te esse omnia, hoc solo firmissimo documento, quia sunt. Certus quidem in istis eram, nimis tamen infirmus ad fruendum te. Garriebam plane quasi peritus; et nisi in Christo salvatore nostro viam tuam quærerem, non peritus, sed periturus essem. Ubi enim erat illa ædificans caritas a fundamento humilitatis quod est Christus Jesus? Aut quando illi libri docerent me eam? Itaque avidissime arripui venerabilem stilum spiritus tui, et præ cæteris apostolum Paulum: et perierunt illæ quæstiones in quibus mihi aliquando visus est adversari sibi, et non congruere testimoniis Legis et Prophetarum textus sermonis ejus. Et apparuit mihi una facies eloquiorum castorum, et exsultare cum tremore didici. Et cœpi et inveni quidquid illac verum legeram, hac cum commendatione gratiæ tuæ dici, ut qui videt non sic glorietur quasi non acceperit, non solum id quod videt, sed etiam ut videat. Quid enim habet quod non accepit? Quoniam justus es, Domine, nos autem peccavimus, inique fecimus, inique gessimus, et gravata est super nos manus tua, et juste traditi sumus antiquo peccatori præposito mortis; quia persuasit voluntati nostræ similitudinem voluntatis

quæ, qua in veritate tua non stetit. Quid faciet miser homo? Quis eum liberabit de corpore mortis hujus, nisi gratia tua per Jesum Christum dominum nostrum, quem genuisti co-æternum, et creasti in principio viarum tuarum, in quo princeps hujus mundi non invenit quidquam morte dignum, et occidit eum; et evacuatum est chirographum quod erat contrarium nobis? Hoc illæ litteræ non habent. Non habent illæ paginæ vultum pietatis hujus, Lacrymas confessionis, Sacrificium tuum, Spiritum contribulatum, Cor contritum et humiliatum, Populi salutem, Sponsam, Civitatem, Arrham Spiritus Sancti, Poculum pretii nostri. Nemo ibi cantat: *Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse Deus meus et salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius.* Nemo ibi audit vocantem: *Venite ad me qui laboratis.* Dedignantur ab eo discere, quoniam mitis est et humilis corde. Abscondisti enim hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Hæc mihi invisecrabantur miris modis, cum minimum Apostolorum tuorum legerem, et consideraveram opera tua et expaveram.

Deus meus, recorder in gratiarum actione tibi, et confitear misericordias tuas super me. Perfundantur ossa mea dilectione tua, et dicant, Domine quis similis tibi? Disrupisti vincula mea, sacrificem tibi sacrificium laudis. Benedictus Dominus in cœlo et in terra: magnum et mirabile nomen ejus. Inhæserant præcordiis meis verba tua, et undique circumvallabar abs te. Deus bone, quid agitur in homine ut plus gaudeat de salute desperatæ animæ, et de majore periculo liberatæ, quam si spes ei semper affuisset, aut periculum

minus fulsset. Etenim tu quoque, misericors Pater, plus gaudes de uno pœnitente quam de nonaginta novem justis, quibus non est opus pœnitentia. Et nos cum magna jocunditate audimus cum audimus, quam exsultantibus Angelis pastoris humeris reportetur ovis quæ erraverat; et drachma referatur in thesauros tuos, collætantibus vicinis mulieri quæ invenit: et lachrymas excutit gaudium sollemnitatis domus tuæ, cum legitur in domo tua de minore filio tuo, *quoniam mortuus erat, et revixit; perierat et inventus est.* Voluntas autem nova quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jocunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, hæc spiritalis, confligebant inter se atque discordando dissipabant animam meam. Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaveram cum anima mea in cubiculo nostro corde meo, tam vultu quam mente turbatus, invado Alypium, et exclamo. Quid patimur? Quid est hoc? Surgunt indocti et cœlum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine? Dixi nescio quæ talia et abripuit me ab illo æstus meus, cum taceret attonitus intuens me. Hortulus quidam erat hospitii nostri, quo nos utebamur sicut tota domo. Abscessi ergo in hortum, et Alypius pede post pedem. Neque enim secretum meum non erat, ubi ille aderat. Sedimus quantum potuimus remoti ab ædibus. Ubi vero a fundo arcano alta consideratio contraxit et congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens ferens ingentem imbrem lachrymarum. Et ut totam

effunderem, cum vocibus suis surrexi ab Alypio. Et secessi, remotius quam ut posset mihi onerosa esse etiam ejus præsentia. Sic tunc eram et ille sensit: apparebat enim sonus vocis meæ jam fletu gravidus, et sic surrexeram. Mansit ille ubi sedebamus, nimie stupens. Ego sub quadam fici arbore stravi me nescio quomodo, et dimisi habenas lachrymis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et quidem non his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu, Domine, usquequo? Usquequo, Domine, irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Jactabam voces miserabiles; Quamdiu? Quamdiu? Cras, et cras? Quare non modo? Dicebam hæc et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis et crebro repetentis, quasi pueri an puellæ nescio. TOLLE LEGE, TOLLE LEGE. Statimque mutato vultu intentissimus cogitare cœpi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid; nec occurrebat omnino audivisse me uspiam. Repressoque impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans, nisi divinitus mihi juberi, ut aperirem codicem et legerem quod primum caput invenissem. Itaque concitus redii ad eum locum ubi sedebat Alypius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei: *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione: sed induite Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine

hujusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interjecto aut digito aut nescio quo alio signo, codicem clausi, et tranquillo jam vultu indicavi Alypio. At ille quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicavit: Petit videre quid legissim; ostendi; et adtendit etiam ultra quam ego legeram, et ignorabam quid sequeretur. Sequebatur vero: *Infirmum autem in fide recipite.* Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Sed tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono et congruentissimo suis moribus, quibus a me in melius jam olim valde longeque distabat, sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est. Inde ad matrem ingredimur: indicamus; gaudet: narramus quemadmodum gestum sit; exsultat et triumphat; et benedicebat tibi, qui potens es ultra quam petimus aut intelligimus facere, quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus.

O Domine ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo sacrificium laudis. Laudet te cor meum et lingua mea, et omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi? Dicant, et responde mihi, et dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Christe Jesu, adjutor meus et redemptor meus! Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum! et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Renuntiavi peractis vindemialibus, ut scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium providerent, quod et tibi ego servire delegissem, et illi professioni præ difficultate spirandi ac dolore pectoris non sufficerem.

Et insinuavi per litteras antistiti tuo, viro sancto Ambrosio pristinos errores meos, et præsens votum meum, ut moneret quid potissimum mihi de libris tuis legendum esset, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorque fierem. At ille jussit Isaiam prophetam: credo quod præ cæteris Evangelii revocationisque Gentium sit prænuntiator apertior. Verumtamen ego primam hujus lectionem non intelligens, totumque talem arbitrans, distuli repetendum exercitatior in dominico eloquio. Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeavimus. Multa prætereo, quia multum festino. Sed non præteribo quidquid mihi anima parturit, de illa famula tua, quæ me parturivit, et carne ut in hanc temporalem, et corde ut in æternam lucem nascerer. Non ejus, sed tua dicam dona in ea; neque enim seipsam fecerat aut educaverat seipsam. Tu creasti eam. Et erudivit eam in timore tuo virga Christi tui, regimen unici Filii tui in domo fidei, bono membro Ecclesiæ tuæ. Educata itaque pudice ac sobrie, potiusque a te subdita parentibus, quam a parentibus tibi, ubi plenis annis facta est, tradita viro servivit veluti domino, et sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, et reverenter amabilem atque mirabilem viro. Denique etiam virum suum jam in extrema vita temporali ejus lucrata est tibi nec in eo jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat. Erat etiam serva servorum tuorum. Quisquis eorum noverat eam, multum in ea laudabat et honorabat et diligebat te; quia sentiebat præsentiam tuam in corde ejus sanctæ conversationis fructibus testibus. Impendente autem die, quo ex hac vita erat exitura,

quem diem tu noveras ignorantibus nobis, provenerat (ut credo) procurante te occultis tuis modis, ut ego et ipsa soli staremus incumbentes ad quamdam fenestram, unde hortus intra domum quæ nos habebat prospectabatur, illic apud ostia Tiberina, ubi remoti a turbis post longi itineris laborem instaurabamus nos navigationi. Colloquebamur ergo soli valde dulciter, et præterita obliviscentes, in ea quæ ante sunt extenti, quærebamus inter nos apud præsentem veritatem quod tu es, qualis futura esset vita æterna sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit. Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitæ qui est apud te, ut inde pro captu nostro adspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus. Cum talia loqueremur, et mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis, tunc ait illa: "Fili quantum ad me attinet, nulla jam re delector in hac vita. Quid hoc faciam adhuc, et cur hoc sim nescio, jam consumta spe hujus sæculi. Unum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te Christianum catholicum viderem priusquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, ut te etiam contempta felicitate terrena, servum ejus videam: quid hoc facio." Ad hæc quid ei responderim, non satis recolo. Cum interea vix intra quinque dies, decubuit febribus. Et cum ægrotaret quodam die defectum animæ passa est, et paululum subtracta a præsentibus. Nos concurrimus; sed cito reddita est sensui, et adspexit adstantes me, et fratrem meum, et ait nobis quasi quærenti similis: Ubi eram? Deinde nos intuens mœrore adtonitos: Ponetis hic, inquit, matrem vestram? Ego

sulebam, et fletum frenabam. Frater autem meus quiddam locutus est, quo eam non peregre, sed in patria defungi tamquam felicius optaret. Quo audito, illa vultu anxio reverberans eum oculis quod talia sperret, atque inde me intuens: Vide, ait, quid dicit. Et mox ambobus: "Ponite," inquit, "hoc corpus ubicumque; nihil vos ejus cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei ubi fueritis." Cumque hanc sententiam verbis quibus poterat explicasset, ingravescente morbo exercebatur. Premebam oculos ejus, et confluebat in præcordia mea mœstitudo ingens, et transfluebat in lachrymas, et in tali luctamine valde male mihi erat.

Sero te amavi, pulcritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi. Et ecce intus eras, et ego foris, et ibi te quærebam; et in ista formosa quæ fecisti deformis irruebam. Mecum eras, et tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quæ si in te non essent, non essent. Vocasti, et clamasti, et rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti, et fugasti cæcitatem meam. Fragrasti, et duxi spiritum, et anhelo tibi. Gustavi, et esurio, et sitio. Tetigisti me, et exarsi in pacem tuam. Cum inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor et labor; et viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, sublevas eum; quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mœroribus; et ex qua parte stet victoria nescio. Hei mihi, Domine, miserere mei. Contendunt mœrores mei mali cum gaudiis bonis; et ex qua parte stet victoria nescio. Hei mihi, Domine, miserere mei: hei mihi. Ecce vulnera mea non abscondo. Medicus

es, æger sum: misericors es, miser sum. Numquid non tentatio est vita humana super terram? Quis velit molestias et difficultates? Tolerari jubes eas, non amari. Et tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod jubes, et jube quod vis. Imperas nobis continentiam. *Et cum scirem*, ait quidam, *quia nemo potest esse continens nisi Deus det: et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Per continentiam quippe colligimur et redigimur in unum, a quo in multa defluximus. Minus enim te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O Amor qui semper ardes et numquam exstingueris, caritas Deus meus, accende me. Continentiam jubes. Da quod jubes, et jube quod vis.

CONFESSIONUM FINIS.

PSALMI DAVIDIS ALIQUOT,

SECUNDUM

GEORGII BUCHANANI

PARAPHRASIN POETICAM,

METRA HORATII PRÆCIPUA COMPLECTENTES.

PSALMUS I.—*Monocolos.*

1. Fēlix | ĭlle ănĭ- | mi, quēm | nōn dē | trămĭtĕ | rēctō [*Hexam.*
Ĭmpĭă | sācrĭlĕ- | gāē flēx- | ĭt cōn- | tāgĭŏ | tūrbāē :
Non iter erroris tenuit, sessorve cathedræ
Pestiferæ facilem dedit irrisoribus aurem :

2. Sed vitæ rimatur iter melioris, et altâ
Mente Dei leges noctesque diesque revolvit.

3. Ille velut riguæ quæ margine consita ripæ est
Arbor, erit : quam non violento Sirius æstu
Exurit, non torret hiems sed prodiga læto
Proventu beat agricolam : nec flore caduco
Arridens, blanda Dominum spe lactat inanem.

4. Non ita divini gens nescia fœderis, exlex,
Contemtrixque poli : subito sed turbine rapti
Pulveris instar erunt, velucri quem concita gyro
Aura levis torquet vacuo ludibria cœlo.

5. Ergo ubi veridicus judex in nube serena
Dicere jus veniet, scelerisque coarguet orbem,
Non coràm impietas moestos attollere vultus,
Nec misera audebit justæ se adjungere turbæ.

6. Nam pater ætherius justorum et fraude carentûm
Novit iter, sensumque tenet: curvosque sequuta
